





8.

QVOD FELIX, FAVSTVMQVE SIT!  
DE

**PRIMORDIIS  
EMENDATAE  
PER LVTHERVM  
RELIGIONIS,**

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECTORATVS SAXONICI HAEREDA ETC.

PRAESIDE

**GOTTLIEB VVERNSDORFIO,**  
SS. Theol. Doct. et Prof. Publ. Alumn.

Saxon. Ephoro, et Academiae h.t.

PRO-RECTORE

pridie Anniversarii Sacri

II. Cal. Novembr. clo lccc VIII.

ex ipsius Divi Lutheri Cathedra,  
publica Dissertatione exponet

**M. GODOFREDVS VICTOR MOEHRING,**  
S. Theol. Cand. h. Ord. Phil. in Acad. Vitemb. Assessor,  
nunc design. Illustris et Provincialis Scholae  
Ieveranae Rector.

---

VITEMBERGAE, Typis IOANNIS HAKII.



640 DITTRICHTA  
PRIMO  
EM  
PERLUSIO  
REHIGIO  
DINIPIDIA  
COTTERI  
TYPIDIA  
EXCEP  
M  
TYPIDIA  
TYPIDIA



Vo nunc elapsa sunt secula, ex quo  
 D.MARTINVSLVTHERVS, po-  
 stremae aetatis, ut Philippo dicitur,  
 Elias, Germaniaeque Nestor, et Or-  
 pheus, auspicis Friderici III. Saxonis,  
 confilio, fvasique Staupitii, publicis  
 literis, honestisque conditionibus ac-  
 cersitus, ex Ephordiens Academia,  
 in hanc Nostram migravit. Cuius quidem virtuti ac me-  
 ritis uti, post Deum, incrementa huius Academiae, et,  
 quod maius est, instaurationem religionis, per quam o-  
 mnes salvandi sumus, debemus; sic facere non possiu-  
 mus, quin hoc potissimum anni tempore, quo benefi-  
 cii huius memoriam anniversario per Saxoniam sacro  
 recolere solemus, de illa per Lutherum emendatione  
 quaedam ad disputandum publice proponamus. Nam  
 quum exteri etiam, et placitorum Lutheri parum alioqui  
 tenaces, primum huius Viri hanc in Academiam adven-  
 tum publico scripto, (quamente, quo consilio, ipsi norint,) Collegio nostro sint gratulati, minime id nobis commit-  
 tendum esse putamus, ut, quos multo, quam alias,  
 proprius magnitudo illius beneficii tangit, eius accepti pa-  
 rum memores fuisse videamur. Quando igitur, pae-  
 ter expectationem, una et item altera scribenda dispu-  
 tatio est, inserviemus tempori, et de instauratione do-  
 ctrinae per Lutherum sic commentabimur, ut nunc  
 quidem illius praesagia, occasionem, successum, alio au-  
 tem tempore illius necessitatem, sufficientiam, divinita-  
 tem, commoda, et alia, quae hic pertinent, quaeque a  
 novis quorundam criminationibus vindicandasunt, Nu-  
 mine propitio, exponamus.

I. Ut maximi momenti res est emendatio sacrorum; sic eandem ab Luthero suscipiendam, post Ioannem in Apocalypsi, c. XIV, 6. multi cum doctrina, tum pietate praestantes Viri, seculo imprimis quinto ac decimo, prae-dixerunt.

§. 1. Religio est ratio colendi verum DEVM, quam quidem praescribere, ac ordinare, ut non humani res est arbitrii, sed divini, *Luc. VII, 30. Act. XX, 27.* sic corrumpi quidem illa virtus hominum, restaurari vero, et ad pristinam munditatem reduci, nisi Numinis ipsius ope, beneficioque, non potest.

§. 2. Itaque factum, ut, quum temporibus V. T. non raro nunc imperantium in republica, nunc docentium in Ecclesia culpa, inquinarentur sacra, nemo unquam privato vel consilio, vel auctu emendationem illorum aggressus fuerit, sed DEI est expectatum auxilium, qui per servos suos, eandem suo tempore tertio securutam esse, promisit. Sic Moscholatrie, a Ieroboamo excogitate per Iosiam, 2. *Reg. XXIII, 17.* abolitionem Prophetæ quispiam, quem Flavius Iosephus in Antiquit. Iudaic. Iaddonem nominat, 1. *Reg. XIII, 2.* Baalismi ab Achabo inventi per Iehu Regem Israeliticum, ejectionem alias quispiam 1. *Reg. XII, coll. c. XXI, 22. et 2. Reg. X. 18. et 36.* praedixit. Templum Hierosolymitanum, ipsamque adeo Iudeorum religionem, a Graecis aliquandiu contaminandam, contaminatam vero Maccabaeorum, et aliorum bene animitorum, opera brevi post instaurandam esse, Daniel vaticinatus fuit, *Cap. XI, 32.* Denique doctrinam a Phariseis per hypocrisin, a Sadducaeis per Epicureismum foeditissime corruptam ipsius Filii DEI in carnem missi, hujusque praecursoris, Iohannis Baptistæ, ope repurgatum iri, *Malachias c. III, 2. sq.* praevidit.

§. 3. Atque ut sub novo foedere doctrinam a Christo, et Apostolis acceptam, non minus, quam olim sub Veteri, a Mose

Mose et Prophetis traditam, corruptum iri praevidit, sic illam quoque repurgandam esse ac emendandam, non uno Scriptura loco praedixit. Nolumus cumulare oracula, quum singula persequi ratio instituti non ferat. Vnum suffecerit ex Apocal. XIV, 6. s<sup>r</sup>. petitum, quod etsi varie explicetur ab interpretibus, tamen, si accurate consideretur, expectandam a DEO emendationem religionis manifesto insinuat.

§. 4. Videbat enim Ioannes l. c. angelum volantem per medium coeli, babentem Evangelium aeternum, ut evangelizaret habitantibus super terram, et omni genti, et tribui et linguae, et populo; dicentem magna voce: Timete DEV M, et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius, et adorate eum, qui fecit coelum et terram, et mare, et fontes aquarum. Et alius angelus secutus est, dicens: cecidit, cecidit Babylon, civitas illa magna, quia a vino irae fornicationis sua potavit omnes gentes. Et teritus Angelus secutus est illos, dicens voce magna: si quis adoraverit bestiam, et imaginem eius, et adceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua. Et hic bibet de vino irae DEI, quod mixtum est mero in calice irae ipsius etc.

§. 5. Quibus verbis indigitari fideles Evangelii praecones, et purioris doctrinae vindices, est in propositulo. Coelum enim in Scriptura frequentissime notat Ecclesiam, et regnum gratiae. Et, ut Christus subinde loquitur de regno coelorum, illudque cum variis rebus comparat; sic Petro credebantur claves regni coelorum, i. e. Ecclesiae, cuius bona nunc impertiri debebat poenitentibus, et morigeris, nunc negare pertinacibus, ac refractariis. Capite XII. Apocal. dicitur gesta pugna in coelo, quod utique non est intelligendum de regno gloriae, vel coelo glorioso, in hoc enim proprie non datur pugna, sed pax perpetua, Iobi XXV, 2. sed de regno gratiae, et de Ecclesia. Inde est, quod Pastores Ecclesiae vocantur Angeli in Scripturis, ut Mal. III, 1. Ecce mitto angelum meum coram me, quae verba de Ioanne Baptista interpretatur Marcus cap. 1, 2. Nec dubium est, quin per Angelos Ecclesiarum, quos affatur DEI Filius cap. II. et III. Apocalypses, illarum intelligantur Episcopi. Non enim essent Angelici Spiritus, in quibus tam multa desideraret, ac emendari vellet. Eodem autem tensu h. l.

vocabulum *Angeli* accipi debere, hinc liquet, quod Angelus *primus*, cuius meminit c. 6. dicitur habere praemaniibus *Evangelium aeternum*, quippe missus ad illud praedicandum hominibus in terra. Oportet igitur hos *tres Angelos* esse totidem fideles Evangelii praecones, diversis quidem, sed *intervallo non longo*, temporibus, excitatos a Deo, ad instaurandam et afferendam religionem, hominesque a cultu Papistarum idololatrico avocandos.

§. 6. Ac LVTHERVUM quidem *unum ex his tribus angelis* esse, si a Pontificiis interpretibus discesserim, praestansfissimi quique consentiunt: sed *primus* ne, an *secundus*, an *tertius*, id vero est controversum. Per *primum* numero Angelum, Lutherum significatum fuisse, *primus*, quantum memini, statuit *Io. Bugenbagius* in *Conc. funebri in laudem eius Ao. 1546* habita, quae extat *T. VIII. Altenb.* f. 864. Er war ohne Zweifel, inquit, der Engel, davon in der Offenbarung c. *XIV.* steht, der da geflogen batt mitten durch den Himmel, und hatte ein ewig *Evangelium* etc. --- Dieser Engel, der da saget, fürchter Gott und gebet ihm die Ebre, war *D. Martinus Luther*: Und das bie steht, fürchter Gott, und gebet ihm die Ebre, das sind die 2. Stücke der Lebre *D. Martin Luthers*, das *Gesetz*, und *Evangelium*, durch welche die gantze Schrifft geöffnet wird, und Christus erkennet wird, unsre Gerechtigkeit, und ewiges Leben, zu welchen zweyen er auch das Stücke hinzu gesetzt batt: die Zeit seines Gerichts ist kommen, und hat gelebret vom rechten Gebet, und Anruffung gegen Gott den himmlischen Vater im Geist, und in der Warbeit, wie der Engel hoc cap. auch saget: betet an den, der da gemacht hath Himmel und Erden etc. Eadem per invasa sibi habuit *D. Mart. Taburnus*, vir pius ac celebris, ut docuit literis ad *Laurent. Kranzbennium* Ao. 1574. hanc in tententiam scriptis: *Wir zweifeln nicht daran, daß dieser D. Martinus* sey der Engel, der da mitten durch den Himmel geflogen, und bat ein ewig *Evangelium* verkündiget, davon der Heil. Iohannes zuvor batt geweißaget c. *XIV.* Eadem statuerunt deinceps *D. Höe*, *Meisnerus*, *Lucius*, *Cluverus*, *Nuberus* *Conc. I. de V. L. Calovius*, et quotquot e nosfratibus, vel in *Apocalypsin Commentarios*, vel conciones ob *Iubilacum Lutheri*, scripserunt. Ipsos Reformatos inter,

ter, paucis abhinc annis B. Woodroffe, Theologus Oxoniensis in defens. Reformat. adversus Orokoscium p. 92, 93. sq. copiose ostendit, locum Apoc. XIV. 6. commodius explicari non posse, quam de restituta per Lutherum Evangelii doctrina: si qua, inquit, Ecclesiae aetas fuerat, in qua Evangelium aeternum evangelizabatur; illam esse necesse est, qua Lutherus, et, quos vocas, socii eius praedicabant. Quid quod ipsum Evangelicorum nomen inde derivari videtur. Et p. fq. Fecit ea Lutherus, quae de Angelo ipso (Apoc. XIV. 6.) praedicebantur: fecisse ea dico, quae NB. nullus praeter ipsum, ex quo prophetia illa per Ioannem edebatur, fecit.

§. 7. Per secundum numero Angelum intellexit Lutherum D. Dav. Pareus Comment. ad b. l. cui applaudit I. Cratinus in iubil. contin. seu defens. concion. iubil. Heidelberg. p. 36. Sed opponi potest huic sententiae, quod hic Angelus, Babylonis ruinam et casum, non tam procurasse, quam intimasse, et publicasse legitur, quum contra Lutherus noster, superstitiones removendo Papisticas, in casum dederit Papatum, et capitalem ei plagam Evangelii instaurazione inflixerit.

§. 8. Per tertium denique Angelum eundem indigitatum fuisse putat Briggmannus in Comment. ad h. l. imprimisque P. Molinacius in Vate L. V. c. XLIX. p. 325. Ut enim hic per Angelum primum, Berengarium: per secundum, Petrum Bruisenhem; ita per tertium intelligit sanctos illos Viros, qui adversus tyrannidem Papae, et idololatriam, cauponationemque indulgentiarum, se erexerunt, et S. Scripturam, quam Papae propemodum extinxerant, et ab oculis populi priorsus amoverant, publicarunt, et verterunt sermone vernaculo, unde ingens plaga inficta est bestiae, populis stupentibus ad novam lucem, et accurrentibus ad Evangelium: Hi sunt, inquit, tertius ille angelus, qui maiore, quam priores, successu impugnaverunt Papinum, et densissimis tenebris intulerunt lucem.

§. 9. Nos per primum Angelum, cum Bugenbagio, et aliis, cor moxissime intelligi Lutherum putamus: per secundum, D. Mart. Chemnitium, qui foedissimas Babylonis Romanae in Concilio Tridentino, prolapsiones notavit, eandemque velut domicilium quoddam, ac sedem monstrorum omnium, ac porten-

portentorum, in *Examine Comitii eius descripsit*, ad confirmationem vero doctrinae per Lutherum instauratae plurimum contribut. Per *Tertium* denique intelligimus, cum Calovio, amabilem fidelium Doctorum coetum, in unitate fidei, & spiritus coniunctum, qui *Syncretismo*, cum Pontificiis ineundo fortiter se opponunt, eosque omnes de calice irae divinæ bibituros pronunciant, qui adoraverint vel bestiam, vel imaginem eius, et characterem eius vel in fronte, vel in manu acceperint, h. e. quoquo modo cum Pontificiis sacram societatem inierint, aut cum iisdem colluserint.

§. 10. Recte igitur Lutherus noster *Angelus Apocalypticus*, h. e. in *Apocalypsi praedictus*, et adumbratus dicitur. Quod elogium esti cordatiores etiam Calvinistæ haud gravatim admittant, fanatici tamen homines adeo ferre non possunt, ut iustis prope libris id ipsum sibi sumplerint impugnandum. Christoph. Barthol., Burggrafius Brandenburgicus, in praefectura Labiau Amsteld. Ao. 1691. in. 3. librum vulgavit sub titulo : *Wiederlegte Augspurgische Conf. und daß Lutherus nicht sey der Engel mit dem ewigen Evangelio, Apoc. XIV. sondern der vierde Engel mit der Plagschale Apoc. XVI, 8. durch welches Verleitung fast alle Menschen im Lutheribum dieses verheissene ewige Evangelium verwebren etc.* Cuius exemplum tecutus est impius Pietista Arnoldus, veritus nimirum, ne inter homines nimium illius auctoritas, et existimatio crescat, quod ne fiat, fanaticorum plurimum interest. Hinc in sua fabellarum, et calumniarum pandora, quam historiam de haeresibus inscriptis P. II. L. XVI. c. V. n. 23. f. 48. in haec verba erumpit: *was aber insgemein bisher vor Auslegungen von Ibm über das XIV. Cap. der Offenbahrung 10. v. 6. gemacht worden, und wie man ibn zu dem ientigen Engel machen wollen, der mitten durch den Himmel mit dem ewigen Evangelio geslogen sey, ist zur Gnüge bekand.* Vid. Calovii *Lutherus ante Lutherum*, Deutschmanni *Lutherus Apocalypticus*, Pbil. Nicolai de regno Christi L. II. p. 461. 464. obs. gleich weder mit der harmonie seliger Geheimnisse noch andern Vnständen sich reimet.

§. 11. Sed enim (1.) isthaec opinio non solorum, *Wittembergensium*, *Calovii*, et *Deutschmanni*, fuit, quos tamen solos citat-

citavit fanaticus, tantum quo vel hoc nomine invisam aliis redderet, aut tanto tutius, securiusque rideret, sed multo plurium, et in his quorundam ex *ipsis Calvinistis*, ut supra ostendimus. (2.) Philippi Nicolai, ad quem se recipit, verba, vereor, ut recte inspexerit. Hic enim persvasum quidem habuit, Lutherum in Apocalypsi per Angelum quendam significatum fuisse, sed non per angelum primum Apoc. XIV. 6. aeternum habentem Evangelium, quod illum credidisse scribit Arnoldus, eaque de causa cum Calvio, et Deutschmanno, coniungit; verum per Angelum c. XIIIX, 2. descendenter de coelo, et clamantem voce magna: Cecidit cecidit Babylon etc. Ita enim hunc locum παραγετο Φεραί Philippus L. II. de R. C. p. m. 167. Et posthac vidi alium angelum (*ministrum sive Doctorem Evangelii, Mart. Lutherum*) descendenter de coelo (*coelitus excitatum, et ab omnipotente DEO missum*) habentem potestatem magnam (*insigni praedictum robore, et scripturis parentem maxime, ut posset exhortari per doctrinam sanam, et contradicentes convincere Tit. I.*) et terra illuminata est a gloria eius (*gloriose orthodoxae veritatis testimonio, et feruentissimis eius concionibus atque scriptis, illuminatus est populus X. regnorum aquilonarium, sedens in pontificiarum superstitionum tenebris, quas Lutherus verbi immaculati luce dispulit etc.*) Conf. p. 171. (3.) Quod hanc opinionem pugnare cum contextu, eiusque circumstantiis, putat, id prius negavit, invitoque argumento reiecit in Diluc. Apocalypt. Cluverus, quam attulit, affirmavitque fanaticus: Haec manifesta et publica (sic commentatur ad h. l. Cluverus,) aeterni Evangelii renovatio, sub ipso Papatu futura praedicatur, per eximit cuiusdam doctoris ministerium. Angelos enim doctores repraesentare, satis constat e praecedentibus. Quem sane angelum cum Reformatis interpretibus vere dico fuisse Marinum Lutherum. Qui enim sub Papatu doctrinam Evangelii propriam, magna gravitate, constantia, Zeloque, omnibus populis, viva voce, et scriptis praedicavit, ac ad timorem DEI, et gloriam illi dandam, propinquitate iudiciorum eius allegata, omnes excitavit, imprimisque adorationem nemini, nisi Creatori omnium, deberi, instanter docuit, is verissime per hunc angelum est adumbratus. Hunc autem fuisse

B

Luthe-

*Lutherum, quis nisi malitiosus (cape Tibi hoc Arnolde!) negabit?*

§. 12 Perstamus igitur in sententia, Lutherum per Angelum *primum Apoc. XIV, 6.* significatum, simulque restauracionem doctrinae, ab eodem suscipiendam, praedictam fuisse. Quemadmodum vero prophetiae omnes, et varicinia quo propius a complemento absunt, hoc rectius intelliguntur, ut Daniel testatur *cap. XII, 49.* ita, quo magis appropinquavit tempus emendandae per Lutherum religioni divinitus destinatum, hoc plura, et significantiora piissimorum hominum de illa vaticinia extare, et omnium sermonibus celebrari coeperunt.

II. Hos inter praecipui fuerunt Ioannes Hus-sus: Hieronymus Pragensis: Ioannes Wese-lus: Io. Keifersbergius: Sebastianus Brandius: Io. Hiltenus: Andreas Proles: Ioannes Span-genbergius, aliquie.

§. I. Ioannes *Hus*, a patria sua, villa nimirum Hussinetz, vel *Hus*, quod lingua Bohemica anserem notat, secundum *Hagecum*, nomen accepit. Humili eum loco natum fuisse *Aen. Sylvius* scribit *Hist. Boiem. c. 35.* Anno 1396. LL. Artium Magister solenni ritu creatus, initio seculi XV. ad aedem, quae Bethlehem vocatur, Ecclesiastes constitutus fuit. Anno seculi nono magistratum in Academia summum, magna Civium suorum voluntate, gessit. *Sylvius L.c.* docet, quod ingenio fuerit peracri, lingua diserta. Idem testatur *Hagecus*, scriptor vetus ac diligens in *Chron. Boiem. ad A. C. 1400.* *Nauclerus* in *Chron. generat. XLVII.* nominat eundem virum lingua potentem, mundiorisque vitae opinione clarum. Facundiae tamen laudem detrahit ei *Io. Dubravius* in *Hist. Boiem.* quando anserem strepere inter olores, eorumque svavem cantum strepitu suo superare coepisse *L. XXIII. p. m. 614.* scribit. Nempe quia ad Pontificiorum palatum non docuit. Cum autem Ecclesiastes

sia fates creatus esset, amore veritatis, et odio vitae dissolutae, quae a sacrificulis, et monachis agebatur, incensus, coepit mores primum, et mox doctrinam eorum reprehendere, et taxare. Sigillatim XIV. capitibus a recepta t.t. religione deflexit, quae recitat *Theobaldus*, gravis scriptor, P. I. C. 2. de *Bello Husit.* p. 4. et 5. Confirmabat tamen, se nihil, nisi quod in Scriptura fundatum sit, vel docuisset, vel doctrinum esse. Quorsum vid. eius Epistolæ. Veritatem igitur intrepide confessus, quid in quolibet desideraret ordine, aperuit, eoque omnium odia in se provocavit. Initio apud Wenceslaum delatus fuit, qui statim, quod res erat, coniectans, respondisse fertur: *Ey lasst ihn nur geben: die Gantz wird mir Göldne Eyer legen,* apud *Theobald.* l. c. C. III. p. 10. Dubravius L. XXIII. p. m. 614. narrat, Regem his usum fuisse verbis, quum Germani atque Bohemi super aquandis creandi Rectoris Acad. iuribus, opem illius exposcerent. Huslus autem suo de fervore, ac studio veritatis, nihil remisit. Romam citatus ad dicendam causam non comparuit, seque Pontifici Ioanni XXIII. per literas excusauit. Qui cum non ita multo post bellum Ladislao, Regi Neapolitano, indiceret, uenias peccatorum iis omnibus largissime pollicitus, qui arma pro Pontifice contra Ladislaum sumpturi esent, Huslus negavit decere Pontificem, Evangelicis promissionibus ad libidinem abuti, et Anti-Christum esse, qui pro pace bellum inter Christianos excitet, ac incendat. Vid. *Regenwalcius Hisp. Eccles. Slavon. c. V.* et disputatio ipsa, quam t.t. valvis Collegii Carolini in urbe et Academia Pragensi affixit, quae extat T. l. OO. eius f. 174. Hinc fremitus inter Bohemos adversus veniarum mercatum, et mox in ipsos instidores impetus. Quo ipso supra modum irritatus Pontifex, Constantiam ad Concilium eum citari curavit. Quo cum, accepta ab Imperatore fide publica, venisset, multorum errorum accusatus; in vincula coniectus, mox vivus combustus fuit. Vid. summatum *Sylvius*, *Dubravius*, *Cochlaeus* in *Hisp. Boiem.* et OO. *Hus duobus Tomis edita Norimbergæ A. 1558. ex officina Montani, et Neuberi, curante imprimis Flacio:* nec non *Hisp. Concil. Constantiensis*

tensis a Stumphio quondam, et haud ita pridem ab Herm. Hardio V. Cl. denuo, nec sine luculentis accessionibus, publicata. Capita doctrinae, ob quae mortis damnatus fuit, exhibet Ilyricus in Catalogo.

§. 2. Ceterum ante mortem, ad septentriones conversus, dixisse fertur: *Nunc anserem assatis: Post centum annos Olor venturus est, quem non poteritis assare.* Quibus verbis haud dubie Lutherum, et emendationem religionis ab eodem suscipienda, spectavit, ut Lutherus ipse accepit in *Explicat. Cap. XII. Dan. v. 40. et T. V. Altenb. f. 559. etc.* Gretserus quidem Iesuita in *Comment. de duobus numis p. 43.* nec non I. Baronius in *Pseudo-Iubilaeo Vitemb. p. 280.* hoc vaticinum in dubium vocant. Io. Pistorius sua pro impudentia in *Epist. III. ad Pappum* prorsus inficiatur. Fatendum quoque *Sylvium, Dubrarium, Nauclerium* alios de eodem tacere. Quod tamen partim studio brevitas, partim, quod ad palatum non erat, a Pontificiis scriptoribus praeteritum arbitramur. *Regenvolscius in H. Eccl. Slav. L. I. p. 41. ad OO. Huff. T. II. f. 357.* Lectorem remittit, sed perperam, cum de hoc vaticinio nihil vel in primo, vel in secundo Tomo legatur, quod mihi post sedulam perlustrationem certo constat. Neque tamen propterea de veritate ipsius vaticinii dubitandum. Sufficit, *Hagecum, Theobaldum, aliasque scriptores, minime suspectos, meminisse illius.* Nec tale quid Lutherus, omni ambitionis suspicione vacuus, potuit comminisci. Allegat quoque vaticinum *Io. Bugenhagius in Conc. Luth. funebri*, et ad Lutherum accommodat, *Tomo ult. Altenb. p. 833.* nec non *Flacius in Caral. Test. Ver. p. 727.* Laudat etiam *Matthesius, scriptor gravis ac diligens de V. Lutb. Conc. IV.* et in *Sarepta. p. 85.* Item *Stumphius in descr. Concil. Conf. Conradus Porta, in Adhort. ad Lectionem LL. Lutheri, Freherus in Theatro P. I. Scit. 3. p. 84.* Nuberus *Conc. VII. d. V. Lutheri p. 148.* ut recentiores omittam, quorum non paucos exhibit *Dn. Bertram, Ecclesiastes Giffhornensis in Epist. ad D. Polyc. Lyserum de hoc arguimento scripta.*

§. 3. In

§. 3. In afferenda veritatem operam cum Huslo coniunctit M. Hieronymus Pragenfis, quod nomen Patriae, non familiae fuit. Gentilium enim ei nomen fuit *Faulſob*. Quem etsi eundem cum Hieronymo fuisse Theobaldus l.c. neget, assentior tamen *Hageco*, qui ad A. 1400. hoc ipsum conceptis verbis tradit. Fuit autem Hieronymus *Vir excellenti ingenio praedius, praeclara eloquentia, multifaria eruditione, vivaci memoria et id genus Oratoria laudis ornamenti, iudicio Cochlaei Hift. Hufft. Lib. III. p. 140. Sylvius C. 36. et Naucerus in Chronographia Gen: XLVIII. f. m. 270.* Huffum aetate et auctoritate maiorem, Hieronymum doctrina et facundia superiorum fuisse docent. Laudatur quoque ab eloquentia et eruditione eo in testimonio, quo eum Academia Pragensis Ao. 1416. ornavit, quodque reperitur in *OO. Hufft. I. f. 81.*

§. 4. Vti vero eandem cum Huslo doctrinam fovit, sic eandem quoque cum illo fortunam expertus fuit. Adesse iustus Constantiae, metu supplicii retractavit initio, quod docuerat, mox, facti poenitentia ductus, veritatem ingentianimo confessus, eodem, quo Huslus, genere mortis sublatus est. Nihil eum, perinde ut Huslus, timuisse supplicium, *Sylvius, Dubravius, Theobaldus, alii, qua Pontificii, qua nostri, magno consensu tradunt.* Ceterum, quod ad vaticinium illud: *post C. annos DEO et mihi respondebitis*, attinet, dubium videtur quibusdam, utri horum, *Hufft*, an *Hieronymo*, illud sit vindicandum. Huslo tribuunt B. *Lutherus Praef. in Dan. Matthæus et Flacius II. supra citatis, Joach. Camerarius in Hift. de fratr. Bobem. p. 41. Philippus Mornaeus in myst. Iniquit. p. 536.* Petrus Notarius, in peculiari scripto, quod e Pauli Rockenbachii, Physici Cicensis, Bibliotheca vulgavit, *Jo. Agricola, Islebius.* Quin et numeros a Bohemis culos fuisse, cum imagine Husfi ad palum alligati, ac rogo impositi, addito lemmate: *Post Centum annos DEO, et mihi respondebitis*, refert *Annal. dec. I. p. 6. Abr. Sculterus*, cuiusmodi sat antiquos, et haud dubie ad seculum XV. referendos, suis se oculis usurpare scribit Cl. Polyhistor Tenzelius, in *Monatl. Unterred. April. 1694. p. 269.* Nonnulli

nulli hoc in argumento *Naucleri*, *Sabellici*, aliorumque testimonia laudant, sed praeter rem, quum istis de vaticiniis nihil apud eos inveniatur.

§. 6. Multi vero haec verba non *Husſo*, sed *M. Hieronymus Pragensi* tribuunt, utpote *Wolius* in *Memorab.* P. I. p. 749. *Regenfelsius H.E. Slav.* L. I. p. 41. imprimisque *Poggius Florentinus*, in *Epist. ad Leon. Aretinum*, qua mortem Hieronymi describit, idemque hoc vaticinium, utut non qua verba concepta, tamen qua sententiam, ab eodem editum memorat. Eidem vindicatur in *Operibus Husſi*, quae supra laudavimus T. II. in narrat. de *M. Hieronymo Pragensi* cap. VI. f. 357. *Theobaldus* autem de *B. Husſe*. P. I. c. XXV. p. 126. verba illa non modo Hieronymo soli tribuit, sed eos quoque erroris postulat, qui Husſo adscribunt. Da, inquit, Hieronymus *sabe*, daß er sterben muſte, sing er an: Ihr habt beschlossen, ebe an mir was thärtliches gefunden, mich falsch und unbillig zu tödten. Wohlan, ich will nach meinem Todt einen Stachel in eurem Hertzen, und nagenden Wurm in euren Gewissen lassen; Ich appellire auch zu dem gerechten Richter *Stuhl Jesu Christi*, daß ihr nach hundert Jahren mir drauff antwortet. Es wollen etliche, deren manuscripta allein vorhanden, es habe es *Husſe* gehabt, aber es ist falsch. Etliche sagen, es habe *Husſe* dergleichen, da er den Pfal gegen Mitternacht geschen, geprophecseyet, und gesagt: Heut bratet ihr eine Gans, über hundert Jahr wird ein weisser Schwan kommen, den werdet ihr nicht tödten können; dem sey nun, wie ihm wolle, so ist doch gemelte Prophecy mit *Husſens*, sondern allein die lezte, so sie sein anders ist, und von ihm also geredet, davieder ich nich freite.

§. 7. *Dn. Bertramus P. Giffornensis* in *Epistola*, superius laudata, suspicatur, ab utroque, diverso tempore, haec verba pronunciata fuisse. Cui sententiae non repugnabo more. Id unum addo, magnam esse *Theobaldi* in his talibus auctoritatem, ideo, quod in praefatione historiae suae testatur, se acta *Husſi* ex *Relatione M. Petri de Mladonowiz*, qui tum praesens Constantiae suis ipsius oculis omnia, perinde ut *Poggius inspectarit*, cuiusque narratio per duo secula summae auctoritatis

ritatis ac fidei apud Boemos existimata fuerit, deprompsisse. Cumque universa Bohemorum gens per duo prope secula eam narrationem ratam habuerit, causam non video, cur non in eadem lubens acquiescere debeam.

§. 8. *Io. Wesselus*, vel, ut alii nominant, *Basilius*, patria *Gansfortius*, in Provincia Gröningensi, unde et *Groeningensis* nonaunquam dicitur, natus est A.D. 1429. Decessit A.D. 1487. Trium linguarum, Latinae, Graecae, et Ebraicae, pro captu temporum illorum, peritus faisse dicitur. Ingenio doctrinaque sic excelluit, ut *lux mundi*, et *Magister contradictionum* vulgo diceretur. A Sixto IV. P. R. aliquando beneficium petere iussus, Graeca, et Ebraica Biblia sibi e Bibliotheca Vaticana dari petiit. Mirante id Pontifice, et dicente: *Stulte, cur non petis Episcopatum, aut simile quidpiam?* respondit, *quia iis non indigo*. Multa de scriptis eius a Monachis sunt exusta. Nonnulla tamen ignem evaserunt, ut pote *L. de Orazione: de sacra Eucaristia: de Purgatorio: de Indulgentiis etc.* quae Lipsiae, *Basselae*, *Antwerpiae*, ac demum Gröningae A.D. 1614. coniunctim sunt edita. Hic aliquando ad *Joannem Ostendorpium*, Ecclesie Daventriensis Canonicum, qui ad eum reviserat, conversus dixit: *Sinistro adolestens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum, et contentiosorum Theologorum, Thomae et Bonaventurae, et aliorum eiusdem farinae, ab omnibus fere Christianis hominibus explodetur, ut ex Gerardi Geldenbaurii, vel Noviomagi, (qui Ostendorpium ipsum, iam senem, hoc sibi Daventriae retulisse scribit, ) Historia Batav. referunt Dresserus in Millen. VI. P. I. p. 37. Adam in vita Geldenbaurii, Phl. Mornaeus in Hist. Papatus p. 555. aliisque.* Conferatur de hoc Wessello Gröningensi *Lutherus T. II. Epist. Lat. p. 90. et P. Bertius de Urb. Germ. p. 137.* Quenstadius de patria *VV. illustr.* et alii plures, male illum confundunt cum *Joanne de Vesalia*, Ecclesiaste Vormatiensi, qui ob taxatos Ecclesiae Rom. abfusus, anno 1479. *Moguntiae* est combustus. Hic enim maior natu fuit, quam *Wesselus Groningenensis*, qui prope tempora seculi XVI. attigit, et naturae debitum reddidit, quum *Io. de Vesalia* violenta morte sublatu-

latus fuerit. Consentient nqbiscum Mornaeus Regenvolscius, alii.

§. 9. *Io. Geilerus*, natus Schaafhusii A. 1446. ab oppido, in quo educatus fuit, *Keifersbergius* est appellatus. Scriptis multa, quorum indicem exhibet *Adami in Vita eius*. Iis in scriptis corruptos seculi, ac monachorum mores acriter reprehendit. Monachos nigros solitus est appellare *Diabulos*: Albos, matrem eius: Mixti coloris, pullos eius. Cum *Guil. Comes ab Honstein* Episcopus renunciaretur Argentorati, pro concione monuit: *Episcopum debere esse pium, et suum ipsum munus exequi: templum frequentare, non politica tractare, utriusque testamenti libros intelligere etc.* Neque v. solum questus est vehementer de corruptelis doctrinae, sed emendationem etiam praedixit: *venturum, inquiens, quandam divinitus excitatum, qui religionem instaureret. Quin diem etiam ipsum videre gestiū, quo emendationis initium fieret.* Quod quidem ei votum commune fuit cum aliis. Vid. post *Adamum, Dresserus in Mille-*nar. VI. P. 1. p. 39, et 176.

§. 10. *Sebastianus Brandius* fuit Theologie Doctor, Canonicus, et Concionator ad aedem D. Virginis, in Vrbe et Academia Erphordensi. Praeter alia hoc etiam praedixit: *affore tempus, quo Evangelium ex libris recitaretur.* Addidit: *Me mortuo quidam vestrum aetate ad tempus illud procedent, apud Dresserum. l. c.*

§. 11. *Ioannes autem Hilarius*, monachus ad regulam Francisci, qui vixit Isenaci in Thuringia circa annum 1483, non modo emendationem ipsam, sed *annum etiam praedixit.* Coniectus enim a sodalibus in carcerem, ob improbatas superstitiones, et corruptelas morum, quum ea se liberari molestia frustra orasset, tandem ad Monachorum praefectum conversus: *Nihil, inquit, egi poena dignum.* At anno post. C. N. 1516. altius veniet monachus, qui vos acriter emendabit, et regnum Pontificium oppugnabit. *Hunc nec carcere, nec vinculis coercere poteritis.* Et hanc ipsam sententiam de inclinatione regni Papistici, et hunc annorum numerum, postea repererunt amici

amici eius perscriptum ab ipso in *Commentariis* inter annotationes, quas reliquit in certos locos Danielis, quasque MSC. sua in Bibliotheca habuisse Abr. Sculterum, M. Adami in Vita eius commemorat. Quin et Melanthon refert, se vidisse hoc ipsius Hiltensi manu scriptum, L. II. Epist. p. 8. Vnde et hoc vaticinium allegat in *Apol. cap. de votis monast.* tanquam certum et explorato verum, nec a quoquam temere in dubium vocandum.

§. 12. Andreas Proles, genere Lipsiensis, Theol. Doctor, et Augustinianorum Provincialis fuit. Hunc Lutherus admodum iuvenis Magdeburgi vidit, et audivit. In docendo saepius usurpavit has voces: o fratres! Res Christiana opus habet forti, et magna emendatione, quam quidem iam prope instare video. Cumque admoneretur, ut ipse curam emendandi Ecclesiam susciperet, respondit, ego iam aetate affecta sum, nec tantum habeo roboris, ac praefidii, quantum tanti momenti opus postulat. Alium vero DEVS excitabit heroem, quem ad omnia summum, et excellens ingenium ornabit. Hic emendationem aggredietur, et feliciter absolveret. Decessit Proles A. 1513. Vid. Dresser. l. c. ex eoque Osiander Cent. XVI. L. I. c. 8. p. 14. Add. Seckendorfius Hist. Lutheran. L. I. §. LXXIII. f. 113.

§. 13. Nonnulli hic referunt Hier. Savonorolam, Ferrariensem, quem, Florentiae comburendum, repurgationem sacrorum praedixisse cum aliis Nostratium, tum Beckius in Lutherham vor Lutherum p. 152. Nuber. in Conc. de re Lutheri p. 71. scribunt. Sed, si res accurate investigetur, Italiam quidem ab extero Rege invadendam, et magnam partem subigendam esse, praedixit: at vero imminere repurgationem quandam sacrorum, aut eversionem regni Papistici, non memini docuisse Ferrariensem. Nec huiusmodi quid de eodem vel Guicciardinus, vel Comineus narrant, quanquam aliqui de illicius vaticiniis sit multa tradiderint. Itaque nec Beckius nec Nuberus idoneum pro se allegare scriptorem possunt. Sed nec Lutherus tale quid ei tribuit, cum aliqui enarrationem eius

eius in Psalmos, et pro afferenda veritate studium, maximo-  
pere commendarit.

III. Sive autem casu quodam, seu iudicio,  
seu denique Numinis afflatu, ista praedixer-  
int, certum est, praedictionibus illis respon-  
disse eventum.

§. 1. Ut ut male curiosa quorundam ingenia numero  
plurima invenerint media praedicendi futura, utpote *auguria,*  
*extispicia,* *barufficinam,* *sortilegia,* *onirocritica,* *astrologiam,* *égypto-*  
*tarus,* *alexeptegomantica,* *chiromantiam,* *Geomantiam,* et alia,  
de quibus consuli merentur *Pencerus de divinationibus,* *Dann-*  
*bauerus in Deuteron.* p. 276. seq. *Nibusius in fatidicis,* *Del-Rio in*  
*disquis. Mag. et Petri Molinaci Vates;* habitu tamen ad praesens  
argumentum respectu, non nisi *tres* illi, quos attulimus, ni-  
mirum *casus, iudicium, ac Numen* denique ipsum, habere locum  
posse videntur.

§. 2. Evenit enim interdum, ut hoc illudve praedica-  
tur, praedictioni quoque respondeat eventus, sed *casu*, et ita,  
ut vix idonea ratio praedictionis dari possit, v. g. *Io. Lesseni,*  
genere Bohemus, e carcere, in quem, ex Vngaria redux-  
Vindobonnae coniectus fuerat, proditus, parieti inscriptis  
literae I. M. M. M. Quas cum interpretari multi frustra la-  
borassent, unus *Ferdinandus Austrius*, postea Imperator, rem  
acu tetigit, ita explicans: *Imperator Matthias Mensie Martio Morie-*  
*tur, statimque accepta creta subiecit: Lesseni Mentiris, Mala Mor-*  
*te Morieris.* Quod quum Lessenio relatum fuisset, respondit:  
*Vt ego mentitus non sum; ita Ferdinandus operam dabit, ne vanus*  
*audiat vates.* Evenit utrumque. Nam et *Matthias Imp.* men-  
se Martio decepsit, et *Lessenius*, post insignem rerum in Bo-  
hemia conversionem, ultimo supplicio est affectus. Vid. *Ca-*  
*roli in Memorab. Sec. XVII. L. III. c. 10. p. 537.* Sic igitur uter-  
que aliquid praedixit, quod omnino etiam evenit, sed *casu.*

§. 3.

§. 3. Nonnunquam aliquid praedicitur beneficio iudicii, et prudentiae, eiusdemque vel *naturali quadam sagacitate*, vel *usu*, *experienciaque*, vel denique *accurata singularium circumstantiarum consideratione* tussultae. Sic in *Ihemisocle* laudat Cornelius, quod et de praesentibus verissime iudicarit, et de futuris calidissime coniecerit. Quod *naturali sagacitati* tribendum erat. De *M. Cicerone* autem idem in *vita Pomponii* refert, eundem futura cecinisse, ut vatem. Id quod, praeter sagacitatem, prudentiae longo rerum usu collectae debebatur.

§. 4. Denique praedici quid potest Numinis ipsius afflato, eodemque nunc *immediatio*, quemadmodum Prophetae et Apostoli sub utroque foedere futura sic praedixerunt, ut aliquando non tam futura dixisse, quam praeterita narrasse, incredulis hominibus sint visi; nunc *mediatio*, et interveniente Scriptura, quando quis per assiduum et diligentem S. litterarum meditationem ita illuminatus fuit, ut ea, quae subobscure tradita sunt et revelata in iis, multo luculentius edis serere queat.

§. 5. Iam, quod ad supra laudata vaticinia, de futura per Lutherum emendatione sacrorum, attinet, et si difficile est de iis iudicare, videtur tamen aliud ex alia causa natum esse. Casu quidem hic quempiam aliquid praedixisse vix dixerim. Nec temere suppetet exemplum. Iudicio autem, et prudentia, unum et item alterum, prospexithe statum Ecclesiae in melius mutandum, vel ea de causa negare omnino nolim, quia monumenta historica omnium temporum ostendunt, perpetuam esse vicissitudinem bonorum, et malorum, et quod tum proxime immineat emendatio, quando corruptelae eo usque excraverunt, ut altius excrescere non possint. Fatale est, Dresserus inquit Millen. VI. P. I. p. 46 ut, cum ad summum gradum iniquitas, et tyrannis pervenerit, rumpatur, et quo ascendit amplius, eo corrut foedius. Quamobrem etiam Pontificis regnum, vim, atque robur labefactari, et ex fastigio summo desurbari iusto Deli iudicio necesse fuit. Quum enim

duplicantur lateres, iuxta tritum illud, venit Moses. *Proles certe*, quem superius laudabamus, hanc allegabat suae vel praedictionis, vel suspicionis causam, cum diceret: *Papae regnum iam ruinam magnam minatur: quia nimis alte, et nimis citio crevit.* l.c. p. 48. Cogitantes igitur nonnulli, quod cito nata cito pereant, quod rerum omnium vicissitudo sit, et malis meliora succedant, quod imperiorum omnium fatales dentur periodi, quod, ubi tyrannus ad fastigium pervenit, prolapso vicina sit, quod culpam poena premat comes, quod iustus sit Dominus in omnibus viis suis, quod Ecclesiam omnino destituere, salvis promissionibus, non possit, quodque fieri nequeat, quin aliquando misereatur tot hominum Pa-pistico sub iugo gementium, et liberationem a servitute an-helantium, quod mensura peccatorum a Pontificibus videatur esse impleta, quod renatis literis cum barbarie, rerum quoque divinarum exuenta sit ignoratio, haec, inquam, co-gitantes facile colligere, certo, sanoque iudicio, potuerunt, imminere casum Romanae Babylonis, iamque proxime ab ruina abesse, postquam in tantam ascenderit altitudinem, ut excrescere in maiorem non possit.

§. 6. Interim nec omnem Numinis afflatum excluserim, saltem mediatum, et e Scriptura ipsa perceptum. Quod enim *Hiltenus*, ut supra retulimus, non modo ipsam sacro-rum emendationem, sed *annum* quoque, procul errore, praedixit, id diligent Scripturae meditationi, ac imprimis *Danielis* cum Apocalypsi collationi, cui eum incubuisse *M. Adami*, aliisque scribunt, tribuerim. Ceteris enim illius vaticiniis non perinde, ut isti, de instauratione religionis, consti-tit eventus. De quibus *Melancthon ad Vir. Mordseisen* scribit: *Saepe cogito de Hiltenii vaticinio: Turcas in Italia et Germania regnatos esse anno clx Ise. Sed ipforum Turcarum vaticinia dicunt, futurum, ut pellantur ex Germania, et tunc inclinationem fore regni Turcici.* Vid. T. V. Epist. Phil. ed. Saub. p. 191. Imo nec magnopere repugnaverim, si quosdam immediate quoque a Numine afflatos ista praedixisse statuerint. Ut enim e-rudi-

ruditissimo Morraeo ad stipulari nolim, qui tam clare plerosque praedixisse sacrorum emendationem scribit, ut ab affatu divino id esse, nemo non videat, in Hist. Pap. p. m. 555. vix tamen crediderim, negari posse, in luculentis illis Husi, Hieronymi Pragensis, Wesseli Grönengensis, aliorumque, de instaurazione doctrinae, vaticiniis, perinde ut in restauratione ipsa, aliquid divini, et extraordinarii intervenisse.

IV. Nec defuerunt praesagia, omina, constantes, et inveteratae opiniones, somnia deinde singularia, aliaque id genus, quibus illa tot votis expetita sacrorum repurgatio, anxie expectantibus, velut eminus est ostensa.

§. 1. Praesagium a sagiendo dicitur. Est autem *sagire*, Feste interprete, idem quod *acute sentire*. Vnde *sagae* dietae anus, quia, ut ait Cicero L. I. de nat. Deorum, *multa sciare volunt*. Is igitur, qui *ante sagit*, quam oblata res est, dicitur *praesagire*, i. e. futura ante sentire, et praesagium nihil est aliud, quam praesensio, quum quis hoc illudve ante sentit, quasique subodoratur, quam reipsa eveniat.

§. 2. Huiusmodi PRAESAGIA etiam emendationem religionis antecesserunt. Quum enim Mart. Mellerstadius, primus huius Academiae Rector, Lutherum semel iterumque disputantem audisset, referente Melanthone T. IV. Orat. p. 505. et I. lona in Conc. fun. T. VIII. Altenb. f. 884. saepius dixit: totam vim ingenii esse in eo, ut plane praesagiret, mutaturum eum esse vulgare doctrinae genus, quod tunc in Scholis unicum tradebatur, quod idem e Fratris, Valentini Polichii, ore Matthesius refert Conc. I. p. m. 6. Sic eidem Luthero defugienti, et recusanti ultimos in Theologia honores, mandatum est a Staupitio, ut hoc gradu, sumptibus Principis, ornari fineret, addita causa, multum negotiorum DEO iam in Ecclesia fore,

*fore, ad quae ipius usus esset opera.* Quod etsi ioco t. t. dixit Staupitius, ei tamen deinceps eventus respondit, ut multa praecedunt mutationes praefagia, iudicio *Philippi l. c. Conf. Marthae. l. c.* Huc spectat, quod *Jo. Saalbusius*, e primaria nobilitate Milnica, Episcopus Misnenis, cognitis Tezelii artibus, quibus urebatur in hominibus argento emungendis, eundem ultimum fore institutum indulgentiarum putavit, quod nimia esset illius, et intolerabilis impudentia, *apud Chytraeum in Chron. Sax. L. II. f. 50. et Scultet. Annal. I. p. 16.*

§. 3. OMEN, finiente Dannbauero in *Deuteronom. p. 298.* est signum insolentius rei consequentis, analogum casu, pridem indeprehensum, post demum agnatum. Huiusmodi repurgationi quoque sacrorum, DEO volente, praemissa sunt. Etenim anno 1483. in vespera S. Martini, quo tempore natus fuit Islebii Lutherus, luciferum, quem Φωτόφορον Graeci nominant, multo augustiorem, et lucidiorem apparuisse, quam ulla vel ante, vel post, tempore, Astronomi observarunt, teste *Hier. Wolfi Cent. XV. f. 902.* Quod omnino ominis loco fuit, Lutherum protracturum esse in lucem sermonem propheticum, tanquam lucernam, dispulsuram caliginem Papatus, donec phosphorus fidei in hominum cordibus ostiretur. Inter omnia quoque illud retulerim, quod in laudatione funebri Ioannis Sax. Confessoris *I. III. Declamat.* commemorat *Philipus.* Fridericus nempe Sapiens cum fratre Joanne, huiusque filio, Jo. Friderico, Vinariae, in pervigilio natalis Christi, ad sacra, frequenti comitatu iturus, vedit supra arcem, coelo tereno, fulgentem crucem purpuream satis magnam, et perspicue expressa figura. Steterunt aliquandiu attoniti spectatores: at Fridericus cum Fratre de religione colloquens eo signo futura certamina doctrina, et domus Saxonicae pericula portendi existimat. *Quod etiam evenit.*

§. 4. A

§. 4. A praesagiis proxime absunt constantes , et IN-  
VETERATAE OPINIONES , quarum quum auctor et  
origo nominari , et allegari non possit , divinitus immiscae  
hominum mentibus creduntur . Sic increbuerat Oriente  
toto verus et constans opinio : esse in fatis , ut eo tempore Indaea  
profecti rerum poterentur . Quod de Vespasiani imperio prea-  
dictum fuisse , eventu patuit , apud Sueton. in Vespas. c. IV.  
Tales etiam t. t. de imminenti emendatione animis homi-  
num infederunt . Mattheus Conc. XV. p. 190. scribit : Es ist in  
der Romanisten Hofe , (inde ab anno 1510. vel 1512. vaticinante  
quodam Francisco Minorita , ut Staupitz Lutheru retulit , Vid.  
Seckendorf. L. i. §. VIII. f. 19. a.) eine starcke Rede gangen : Ein Ere-  
mit werde die dreyfache Krophe angreissen . Drumb D. Staupitz  
zum Luther saget : Ich habe gedacht , es würde es ein Clauffner o-  
der Einsiedler ibun , so mercke ich , es soll ein Augustiner Mönch  
seyn . Et Lutherus ad Augustinianos in L. vom Missbrauch der  
Messe A. 1522. docet : Er habe oft , als er noch ein Kind gewesen ,  
ein Prophecy gehöret : Kayser Fridrich würde das Heil Grab erh-  
sen . Ipse vero Lutherus inveteratam illam pervasionem ac-  
commadavit ad Fridericum III. Sax. omnium Principum , qui  
ius creandi Imperatoris habent , suffragii Imperio destinatum , ac tantum non toto triduo Imperatorem , qui soven-  
do , ac sustentando sepe , Scripturam S. veluti loculum ac se-  
pulcrum , in quo Christus cum suis meritis conditus qua-  
si iacet , adversariorum manibus eripuerit . Vid. T II. len-  
Germ. f. 49.

§. 5. Denique nec SOMNIA nobis praeterunda sunt .  
Et si enim , clauso nunc Canone , somnia , quibus de dog-  
matibus , capitibusque salutaris doctrinae edoceamur , ex-  
pectari non debent , ac ne illa quidem , quibus status Ec-  
clesiae , aut familiae futurus , vel alia quaedam , nobis signi-  
ficantur , sint temere , ac sine probatione praevia , pro di-  
vinitus immiscae habenda , promiscue tamen reiici , aut im-  
probari non possunt . Hinc Joannes Bugenhagius in enarrat.  
Cap. I. Matib. scribit : Fit quandoque , ut alii per visionem , per  
sommni-

somnium altis , intelligentiam revelet , quemadmodum legis de somnio Nabuchodonosor , et Pharaonis . Nec dubium , quin et adhuc quandoque DEVS quibusdam revelet mysteria , quemadmodum et Prudensius in hymno ante sonum canit his verbis : O quam profunda inscis Arcana per soporem aperit tuenda Christus ! Quam clara ! quam tacenda ! Quem vana culpa morum , non polluit frequenter , bunc lux serena vibrans res edocet latentes .

§. 6. Quapropter et in somniis quosdam de futura sacrorum emendatione monitos esse legimus . Celebre est illud Joannis Husi in somnium , quod ut alias , sic in Mariyologio Anglicano legitur , ex quo decerptum Oratione de Zelo et praxi Apollinis inseruit Prideauxius OO. p. 478 . Vifus nimirum sibi fuerat Joannes imagines nonnullas in Ecclesiae suae fenestrarum , pro more temporum illorum , aut parietibus depingere , quas statim oblitterabant sacrificuli ac monachi , ita , ut non amplius apparerent . Sed accedebat alius , ( quem Lutherum fuisse , Reformatos agnosceret Prideauxius fatetur ) qui tam affabre renovabat imagines , ut omnes oleum , ac operam perderent , eas qui conarentur inducere , ac delyere .

§. 7. Merito suo huc refero Friderici Myconii , sanctissimi Viri , somnium , quo et miserrimus Ecclesiae status ante restaurationem sacrorum , et felicissimus post eandem eidem ob oculos ponebatur . Prolixiuscula est illius recensio ; nolim igitur totam adscribere : sufficerit ea dedisse , quae proxime ad institutum factura sunt . Prima scilicet nocte , ab ingressu in monasterium Annaebergente , somniavit , errare sepe per horribilem , vastissimamque eremum , nulla spe redeundi in viam . Praeter expectationem vero ad defctionem usque virium fatigato occurrere Virum , Pauli Apostoli habitu , eundemque ostendere commodiorem viam , et fontem , cuius limpidissimis aquis recreare se posset . Refectum aliquo usque cum eodem procedere , post horulae spatium , in campum latissimum , amplissimumque plenum frugum tritici , ac filiginis , deduci sibi videbatur .

Hic ,

Hic, inquietabat dux ille, verba Myconii sunt, tibi nunc laborandum est ac metendum. Ego vero respondi, me quidem nihil abhorre re ab ullo labore, --- Sed nullam unquam falcem tractasse. Respondit ille; doceberis, quod nescis, disces. Dumque ad initium agrorum pervenimus, stabat quidam messor, instrutus falce, et confortatis brachiis, qui ita infibat tanta instantia, quasi solus veller bunc infinitum campum demetere. --- Huic, inquit ductor, adiunge te, ab illo disces, et adiuuaberis. Et, dum illum video virum gravem, iusta etate erat, Ductori meo similis, ita, ut dubitarem, an idem esset, an duo. Quid multa? accipit falcem, et duos, aut tres manipulos metit, simul ostendens, sic mihi esse faciendum. Accedit etiam is, qui metebat, et me sibi socium obtigisse gaudebat. --- Accipio falcem in nomine Domini: lente opus primo procedebat, sed paulatim ex usu disco artem --- Sollicitus, quantum temporis requiratur ad demetendum infinitum campum, video venientes a longe, nunc unum, nunc duos, qui et ipsi in aliis campi partibus metere incipiebant etc. Haec Frid. Myconius non modo saepius Lutheru, et Melanchthoni, narravit, sed et ad P. Eberum peculiari epistola perscripsit, quam repetuit Lenifus in Annal. Annaeberg. p. 8. --- 14.

S. 8. Minime omnium vero nobis omitendum est somnium Friderici III. Sax. quod Sveidnitii habuit, pridie illius diei, quo Lutherusthefes XCV. Tezelio oppositas, valvis templi OO. SS. hac in urbe affixit. Solent illud nonnulli paulo prolixius narrare, utpote Beckius, im Luthertumb vor Luthern p. 151. et D. Io. Olearius in der Wunderl. Gute Got tes c. VI. p. 173. malo autem hoc loco in compendium mittere. Fridericus nimirum, in Vigiliis OO. SS., ter successive somniavit, monachum comitatum sanctis ad se venisse de coelo, et ut quaedam ostio Academico inscribere liceret, petuisse: scriptisse autem literis tam insignibus, ut scriptura etiam Schvidniziae legi posset: finem calami Romanam se extendisse, utramque aurem Leonis X. ibidem iacentis penetrasse, inde ad coronam tricipitem Pontificis se exporrexisse, eamque adeo commovisse, ut casura esset. Ad haec audivisse, monachum pennam istam accepisse ex ala anseris Bohemic.

mici. Haec Anton. Musa, Pastor Ecclesiae Rochlizenensis, ex relatione G. Spalatini, qui Saxoni a Confessionibus fuit, verba descripsit Woodroffius, et examini examinis Orokosci, seu defensioni Reformationis antea laudatae praemisit.

§. 9. Fallor? an inter omnia et praeludia emendandae religionis referri debet Musicae cultor, atque elegantior usus t. t. in Germaniam invectus? Nullus enim, vel rarus, ante seculum XVI. *figuralis*, quam vocant, Musicae usus his in regionibus fuit, sed tantum *Choralis* sive *Gregoriani Canus*, tametsi in aulis Regum, et Principum aliquanto ante usurpari coepit, ex Italia primum, vel ex Anglia, ut quidam arbitrantur, et inde in Belgium allatus. Nam Maximilianus I. Imp. praestantissimum, et celeberrimum sui temporis Musicum *Iosquinum de Pres*; curius variae cantiones, sacrae imprimis, exquisita arte, et vetusta gravitate compositae extant, in aula sua fovit, gratiaque sua complexus fuit. Cuius discipuli Isaac, Adrianus, Willard, Verdelock, Lud. Senfius, Nic. Gombertus, aliique, artem magis et magis perpoliverunt. Ita paulatim eadem canepdi ratione in urbes maiores et templo invecta est, sigillatimque Luneburgi Musicam *figuralem* primus et docuit, et in templum D. Ioannis A. 1516. adeoque unico, anter repurgationem sacrorum, apno, introduxit Johannes Heine, avunculus L. Loffii, quo de vid. L. Bacmeisteri *laudario funebri* L. Loffii.

V. Ingens vero ad repurgandam religionem adiumentum fuit, instauratio literarum, quae orituram lucem Evangelicam, ut aurora clarum solem, praecessit, per typographiam vero, exilium Graecorum, et constitutionem novarum in Germania Academiarum, non parum proiecta fuit.

C

§. 1.

§. 1. Magnum, fateor, divinae, humanaeque sapientiae discernimen est, arte tamen coniunctae, et quodam velut necessitudinis vinculo copulatae sunt. Eundem certe apud eorum habent, Deum, Patrem luminum, cuius etiam gloriam ultraeque, gradu tamen inaequali, amplificant. Hinc pridem observatum est eruditis, aut nunquam, aut certe raro, unam sine altera floruisse, sed subinde alteram alterius nunc incrementum, et storem, nunc desimentum, et interitum attisasse. Deus enim Ecclesiam suam, non sine ornamentis nequam externis, relinquit. Itaque, iuxta religionem puram subinde bonas literas floruisse, cum his autem ipsam aliquando doctrinam salutarem in exilium pulsam fuisse, legimus. Seculis V. et VI. cum barbarie varijs quoque generis haereses invechae: renaatis autem seculo XV. literis ipsa quoque religio florem et dignitatem suam recuperavit.

§. 2. Huc autem plurimum contulit primo typographia, seu ars imprimendi libros, quam cum omnibus veterum inventis de principatu posse contendere Ioh. Bodinus in Meth. Hisp; c. 7. recte, vereque statuit. Itaque ob industriam, artisque hujus culturam, et elegantiam Rob. Stephano, non modo Galliam, sed et universum Christianum orbem, plus debere, quam cuiquam ferrissimorum bellii ducum; ob propagatos fines patriae, censet Iac. Aug. Thuanus, Hisp: L. XVI. p. 76. Ed. Paris.

§. 3. Ac huius quidem artis inventio Germanis debetur. Etsi enim supra laudatus Masselius aenea tormenta conflare, literas, imaginesque, subjectis prelo typis, excudere vetustissimo in usu apud Sinas esse doceat Hisp. Indic, f. 12. istud tamen de quodam artis nobilissimae simulacro potius, quam arte ipsa, intelligi oportere, Erasmus Franciscus in Theatro, et alias, pridem ostendit. Nonnulli, cum Campano, Gallis eandem tribuunt, haud dubie, quod inter primos inventores Gallum quendam fuisse perhibent, quod tamen non nationis, sed familiae, nomen sicut.

§. 4. Nec tamen, cui sigillatim provinciae, aut urbi in Germania laus inventae artis debeat, constat. Harlemi,

apud Batavos Septentrionales, inventam fuisse Andr. Roo in theatro urbium, ex eoque Hübnerus in quæst. Geogr. p. 233. scribunt, quam recte, ipsi viderint. Argentorato hanc laudem vindicant Iac. Meierus, L. XVI. Annal. Flandr. Io. Henr. Hettlinger. in Hist. Sec. XV. p. 44. sq. Saltem ibi memoria secularis hoc nomine celebrata fuit anno 1640. et 10. Schmidii quoque sermonibus illustrata. Moguntiae vero hanc laudem esse propriam Genebrardus docet in Hist. p. 720. Nonnulli conciliare pugnantes sententias student, dicendo: Harleini inventam, Moguntiae excultam fuisse. Optimum iudicio nostro fuerit, statuere, Io. Guttenbergium, Fausti socerum, primum invenisse Argentorati, sed incomplete, ut Iac. Wimpfelingus in Catal. Episcop. Argent. loquitur, excoluisse vero deinceps, ac perfecisse Moguntiae, quo se contulerat, opera Gänsefleischii cuiusdam, et Io. Fustii, generi sui, et Vlr. Galli, de quo supra. Ei rei indicio esse poslunt vetustissimi libri, qui adhuc extant, in Bibl. Freybergensi, alter Psalmorum, alter Decretarium. Posteriori haec memoratu digna adiecta sunt: Praefens buius sexti decretalium præclarum opus Alma in Urbe Moguntia, in clite nationis Germanicae, quam Dei clementia tam alti ingenii lumine, dovoque grauiro. NB. ceteris terrarum nationibus præferre, illustrareque dignatus est, non arramento, plumali crena, neque aerea, sed artificiose quadam adinventione imprimendi, seu characte- risandi sic effigiatam, et ad Eusebiam Dei industrie est consummatum, per Io. Fust, civem, & Petrum Schoffer de Gernsheim Ao. 1465. d. 17. Dec. Vid. Mollerij Chron. Freyberg, Sect. 1. c. 14. p. 130. & Panciro-  
lus de novis repertis L. II. tit. 12.

§. 5. Huius igitur divinæ artis beneficio primum Erasmi Roterdami, quem ad instaurationem religionis, ac literarum plurimum contulisse constat, deinde Lutheri libri variis locis impressi, et per universam Europam disseminati, eoque ipso plurimorum animi ad puriora sacra sequenda vel praeparati, vel etiam inducti fuerunt. Utriusque testis est Vir, olim in- ter typographos clarissimus, Joannes Frobenius in suis ad Lutherum literis Basil. d. 14. Febr. Ao. 1519. datis, quibus significat,  
*sese*

*sese varios Lutheri libros excudisse, sexcentos in Galliam et in Hispaniam misisse: Vendit eos Parisis, legi etiam a Sorbonicis, et probari. Calvum quendam, Bibliopolam Papensem, bonam libellorum partem in Italiam deportasse, per omnes civitates sparsum. Seipsum Lutheri libellos in Brabantiam et Angliam misisse. Denique sibi ipsi gratulatus addit: Exemplaria nostra nos usque ad decem vendidimus omnia: haud feliciorum venditionem in aliquo libro NB. sumus unquam experti. Novum instrumentum ab Erasmo diligentissime recognitum, et insigni accessione locupletatum, intra dies X. facientibus superis, absolvemus. Vid. T. I. Ien. Lat. OO. Luther. f. 367. b.*

§. 6. Porro Graeci post expugnatam a Turcis A.D. 1453. C. Polin e patria profugi, bonas secum literas in Italianam attulerunt, utpote Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Chalcondyles, Argyropylus Byzantinus, Georgius Tiphernas, Hieronymus Spartiatia, et alii, qui a Nicolaio V. P. R. Hercule Duce Ferrarensi, Cosmo, et Laurentio Mediceis, Republ. Venetorum, et Cardinale Bessarione humanissime excepti, et liberaliter habiti Graecas literas, post longum velut exilium, in Italiam reduxerunt. Has enim, iuxta Philosophiam, primus Romae, sumptibus publicis, Ioannes Argyropylus: has primus, accepto, quod petierat, stipendio, Georgius Tiphernas in urbe Parisiiorum docuit: has denique Marcus Masurus in Venetias intulit. Vid. Angelus Politianus T. I. Miscell. et Iovius in elogiis Vir. illustr.

§. 7. Ab Italis acceperunt Germani. Rudolphus enim Agricola, Parisios, Ferrariamque prosectorus tantos subito fecit in Graeca literatura progressus, ut cum Guarino soluta oratione, cum Strozzi, carmine, cum Gaza in Philosophia conrenderet, et, quod Germanis semper difficillimum fuit, Italis in Graecorum, et Latinorum auctorum enarratione, admirationem moveret, ac vel solus, Petri Montani iudicio, insolentii Graeciae, aut procaci Itiae obici posset. Ioannes autem Reuchlinus, vel Capnio, Lutetiae primum Hier. Spartiatam, qui Tiphernati successerat, audivit. Hinc Romanum a Philippo Latino missus, quem propositam Thucydidis partem Latino sermone perspicue, prompteque reddidisset, ipsi Argyropylῳ ger-

mitus expressit, non sine admiratione dicenti: *Graeciam exilio doctorum apes transvolasse.* Ab hoc, Avunculo suo, Melanchthon accepit, qui e Tubingeni Academia in Vittembergensem evocatus, vel ipsa inaugurali Oratione, omnes, qui au-  
scultarant, Graeci sermonis avidissimos ac studiosissimos fe-  
cerat, ut Lutherus refert in Epist. ad Spalat. T. I. n. 59. Quod ipsum non modo incrementa, et frequentiam Academiae ad-  
iuvit, sed et ad ipsam purioris doctrinae propagationem, ac  
defensionem plurimum contulit.

§. 8. Quin et sanctioris literaturaie instructionem ad-  
iicit Dominus, ne quod puriori doctrinae ex ipsis fontibus  
derivandae sublidium deeslet. Huius elementa quaedam Rud.  
Agricola, pleniorē vero cognitionem *to. Caprio*, quum Ro-  
mae esset, a Iudeis, incredibili studio, nec minoribus sum-  
ptibus, didicit, et secum in Germaniam retulit, primusque  
omnium Grammaticam Ebraeam Latino sermone, et magna  
perspicuitate confecit, cuius exemplo *Pelicanus*, *Oecolampa-  
dius*, *Munsterus*, alii, excitati in eadem iuvanda et ornanda cer-  
tatim elaborarunt.

§. 9. Iam porro in Comitiis Vormatiensibus Ao. 1495.  
quae prima Maximilianus I. celebravit, omnium suffragiis de-  
cretum fuerat, ut Septem viri, in sua quisque ditione, scho-  
olis publicis sedem assignarent. Post Moguntinam igitur, Colo-  
niensem, Pragensem, et Heidelbergensem, pridem constitutas,  
FRIDERICVS III. Saxo, cui prudentissimae gubernationis  
fama cognomen Sapientis peperit, Ao. 1502. hac in Urbe;  
Ioachimus vero primus Brandenburgicus, Francofurti ad Via-  
drum Ao. 1506. Academias condidere. Vid. Chytr. in Saxon. L. V.  
f. 146. et VI. f. 170. Sveus in Vittembergā lit. E. Becmanni Memo-  
randā Francofurtensi, imprimisque Publī Vigilantii, Bacollarii,  
Axungiae, Poetae, et Oratoris descriptio introduct. Gymnasiū Francof.  
Ao. 1507. in 4.

§. 10. Et, quod mireris, uno, eodemque tempore, in  
diversis orbis regionibus, inter mortua pridem studia in vitam  
revocabant in Italia, Leo X. P. R. in Hispania, Cardinalis Xime-  
nius,

nus, in Gallia, Franciscus I., in Belgio, Carolus, postea Imperator, in Anglia, Henricus VIII. In humaniore vero, quam vocant, literatura celebrabantur apud Germanos quidem, Desiderius Erasmus: apud Gallos, Guil. Buddeus: apud Britannos, Thomas Linacre: apud Hispanos denique, Antonius Nebrissensis.

§. II. Sic igitur artes, ac litterae instaurari, cum iisque totus prope terrarum orbis, ipsaque adeo religio reviviscere coeperunt. Biblia enim Ebraica, quae vulgo Complutensia dicuntur, cum translationibus, Chaldaica, Graeca, et Latina, supra laudati Ximenii, Archi-Episcopi Toletani, cura, et sumptibus A.D. 1515. typis impresa, et anno sequenti, Novi foederis codex, ab Erasmo latinitate donatus, et permisso Pontificis, ex fontibus correctus, non sine praefentissimo Ecclesiae commodo, sunt publicata. Vid. Scult. in Annal. Dec.

L. p. 5.

VI. Ac repurgandae quidem religionis necessitatem multi pietate, doctrinaque gravissimi Viri agnoverunt, nonnulli etiam verbis, factisque eidem praeluserunt.

§. I. Non temere h. l. confundendae sunt quaestiones, quod memini aliquando ab imperitis fieri. Aliud enim est, necessitatem repurgandorum sacrorum agnoscere; aliud repurgationem ipsam suscipere, ac moliri; aliud iugum Pontificis impatiens ferre; aliud id ipsum excusare; aliud est emendationem in votis habere; aliud eandem aggredi, ac tentare. Distinguendum quoque est inter qualemque doctrinæ salutaris cognitionem, Evangelique praedicationem, et inter manifestam, studioque suscepitam Pontificis oppugnationem, nec non inter emendationis praeludia, et inter emendationem ipsam. Vota, conatum, praeludia, multis relinquimus: ipsam sacrorum instauracionem, negamus. Largimur tamen, ante Lutherum non defuisse, qui et regni Pontificii errores agnoscerent, et saniora quodammodo docerent.

§. 2.

§. 2. Inter primos hic nobis commemorandus est *Iohannes de Vesalia*, Doctor et Ecclesiastes Vormatiensis, qui accusatus est apud Inquisitores, quod docuisset: *Praelatos non posse novas leges condere in Ecclesia: homines spiritum Christi non assequi, nisi per spiritum Christi: Doctoribus etiam sanctissimis proper se non credendum: nibilo magis glossae: Statuta Ecclesiae non obligare ad peccatum: Electos Dei sola eius misericordia salvos fieri: Vanas indulgentias esse: Vana quoque esse Chrisma, Quadragesimas, ciborum discrimen, falso dies, Confessionem auricularem, peregrinationes etc.* In tractatu de *Indulgentiis* scripsit: *Primatum Papae hominum inventum esse: Ecclesiam, dum in mundo peregrinatur, errare posse: omnia ad salutem necessaria S. literis comprebendi etc.* Conf. omnino post Flacum in *Catal. Mornaeus in Hist. Pap. p. 551. sq.*

§. 3. De *Wesselo Gröningensi* dictum est supra, cuius scripta ostendunt, quod de *gratia, de iustitia fidei, depoenitentia, de discriminatione disciplinae et regenerationis, de potestate Episcoporum, de discriminatione ministerii Evangelici, et politicae gubernationis*, prorsus convernit eius sententia cum opinione Lutheri, unde et hunc ipsum initio multa ex illius libris petiisse *Celeberr. Auctioribus der V. N. ad A. 1706. p. 216.* nec male forsitan, persuasum est. Sigillatum in tractatu de subditis et superioribus docuit: *Papam errare posse: erranti obstatum esse: decreta eius eatenus obligare, quatenus cum verbo Dei consentiant: Censuras eius Ecclesiasticas non adeo metuendas esse.* Alias vero ostendit: *Vnitatem Ecclesiae consistere in unitate fidei, non in Vnitate directoris, Petri, vel successoris; Veros Christianos esse, qui nesciant Romam: Fidem iustificare non ex merito creditis, sed proposito, et acceptatione Dei.* Denique doctrina eius a Confessione Waldensium parum absuit. Vid *OO. eius, nec non Adami in Vita Capnonis, et Mornaeus in Myst. inq. p. 555.*

§. 4. *Andreas Proles*, Lipsiae cum paelegeret quosdam Scripturae libros, saepius dixit. *Gratia sumus, quicquid sumus, et gratia habemus, quicquid habemus.* Cumque in Lateranensi conuentu A. seculi XVI. decimo, de novo quodam festo, in Ecclesiam invehendo, ageretur, tolus *Andreas ille* se oppo-  
suit,

fuit, causatus: quod populus Christianus, sanguine Christi liberatus, alioqui nimium traditionibus oneratus esset. Nec ab ea sententia se passus est dimoveri, unde a Pontifice censura notatus fuit. Vid. Dresserus in millenar. VI. l. c.

§. 5. Ita Conrad Sommerhardus, Doctor et Professor Theologus in Academia Tubingensi, consideratis Scholarum tricis, et inutilibus quaestioneibus, saepius, audiente Staupitio, dixit: *Quis me miserum tandem liberabit, ab illa rixosa Theologia?* Vid. Mattes. Conc. XII. de V. L. p. m. 142. ex eoque *Adami in Vita Staupitii*. Huius ex schola prodit Thomas Vittembachius, Brielenensis, in Academia Basiliensi Theologus, qui anno 1505. in disputatione quadam publice dixit: *solanum Christi mortem esse luxuriam pro peccatis: Indulgentiarum negotiorum nihil esse, quam fucum et dolum; si Hadri. Regenvolscio credimus in Histor. Eccl. Sclav. L. I. p. 42.*

§. 6. Fuit quoque inter emendandae religionis prodromos Nicolaus Russ, in Academia Rostochiensi Philosophiae Magister, et Baccalaureus Theologiae. Hic in triplici suo funerali i. e. expositione Symboli, decalogi, et orationis dominicae, docuit: *Indulgentias esse meram deceptionem piorum: veras autem contingere a solo Deo, gratis propter Christum, omnibus vere poenitentibus: Papam non eam potestatem babere, quam ei multi tribuunt, nec audiendum, nisi recta praecipiat: sanctorum ossa non esse adoranda: nec sanctos invocando. Reprehendit quoque tradiciones humanas, varios abusus, et superstitiones, nec non mores Sacerdotum, et monachorum corruptos. Hinc varie vexatus in Livonię abiit, ibique decepsit. vid. Adami in vita eius.*

§. 7. Mitto Wolffg. Fabricium, Capitonem, Ioannem Oecolampadium, Io. Creutzerum, et alios, quos et superstitiones Papisticas improbasse, et doctrinam Evangelii, etiam, antequam a Lutherō repurgarentur sacra, paulo quam alii, purius, proposuisse legimus. Vid. Scultetus, *Regenvolscius*, aliisque.

§. 8. Erasmus vero Roterodamus nobis praetereundus non est, qui in Dialogo, quem Iulium inscripsit, nec non in Moria,

ria , seculi sui , ac imprimis Monachorum , mores false perfrinxit . Hinc lo . lac . Grynaeus dicere est solitus : Erasmus plus iocando , quam Lutherum stomachando , Papae nocuisse . Vid . Adami in viss Theol . p . 417 . Nec in suis , ad Albertum Moguntinum , literis , quantum in doctrina temporis sui desideraret , dissimulavit : Mundus , inquit , oneratus est constitutionibus hummanis , oneratus est opinionibus , et dogmatibus scholasticis , tyrannide fratrum mendicantium --- Perfricta fronte iam coeparent omisso Christo , nihil praedicare , nisi sua nova , et subinde impudentiora dogmata ; de indulgentiis sic loquebatur , ut nec idiotae ferre possent , et futurum erat , ut , rebus semper in deterius prolabentibus , tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christianae pietatis , unde redaccendi poterat extincta charitas . Ad ceremonias plusquam Iudaicas summa religionis vergebat . Queritur deinceps speciatim de Dominicanorum , et Carmelitarum in literatos odio , defenditique Lutherum a suspicione ambitionis , ac avaritiae . Quibus rebus effecit , ut factionis Lutherane vexillifer a Monachis haberetur , et nonnulli , Erasmo et Luthero inter se comparatis , ita sentirent : Erasmus innuit , Lutherus irruit ; Erasmus peperit ova , Lutherus pullos exclusit . Vid . Erasmi Epist . Lib . XII . n . 10 . et L . VI . n . 4 . ed . Londin . Matthefus Conc . I . de V . L . nec non Possevinus in Muscov . p . 362 .

VII . Veram tamen , iustumque repurgationem sacrorum primus et suscepit , et divina ope adiutus absolvit Martinus Lutherus , SS . Literarum Doctor , et t . t . in monasterio Augustiniano , hac in urbe , Lector .

§ . 1 . Lutherum oppugnandi Papatus , et emendandae religionis initium fecisse , magno consensu tradunt antiquissimi quique gravissimique Scriptores , utpote Sleidanus , qui

et

er istorum temporum, et auctoritate publica ad scribendam historiam constitutus fuit, *Lib. I. Comment. de S. R. Seb. Müs-*  
*sterus in Cosmogr. cap. CCCCLVII. f. 1056. lo. Funccius in Chronol. f.*  
*167. L. Ofzander Cent. XVI. L. I. c. 21. p. 44. Lutherus ipse T. I. Isleb.*  
*f. 85. T. I. Vittemb. f. 120. a. T. III. len. Germ. f. 339. b. et f. 444.*  
*Omnis denique Ordines foederis Smalcald. locii, L. I. Epist.*  
*Mel. p. 28. Quorum verba, cum in *Dissert. de Aug. Conf.* iam*  
*attulerim, nolim h. l. repetere. Addo autem his ipsis *Seb.**  
*Fröschelium, Ecclesiae Vittemb. Archidiac.* qui se, anno seculi il-  
*lius 22. hanc in Vrbem venisse, et omnia suis oculis inspexis-  
*se scribit. Hic Lutherum nominat den ersten Anfänger der**  
*Reformation zu unsern Zeiten, in Praefat. L. vom wahren Priestertb.*  
*l. C. 2. E recentioribus autem Sam. Pufendorfius in *Iure fec. div.**  
*p. 216. A. Lukero, inquit, reformati initium in Saxonia factum*  
*est. Denique, quoad superstes fuit Lutherus, imo per inte-  
*grum prope, ab inchoata emendatione, seculum nemo hanc**  
*laudem summo Viro eripere est conatus.*

§. 2. Primi vero id ipsum in dubium vocarunt *Helvetii*,  
*qui, cum intelligerent, magna se laborare invidia, quod vi-  
derentur suo, a Lutheru, in capite de Coena, dissensi, cur-  
sum evangelii impedivisse, atque ab asserta per illum veritate  
defectionem fecisse, impudenter commenti sunt, *Zwinglium*  
*duobus ante Lutherum annis Glaronae, et in Monasterio D.*  
*Meinradi ( hoc enim nomine appellari debere, quod vulgo*  
*Eremitorium, zun Einsiedlen in Helveria nominatur, Chyraeus in*  
*Onomastico docet, ) Evangelii doctrinam puram, integrum  
que propoluisse, tantum quo repugnatae religionis glo-  
riam Lutheru ereptam in *Zwinglium* transferrent, nec i-  
psi Lutherum, sed potius Lutherus ipsos deseruisse vide-  
retrur.**

§. 3. Rudolphus igitur *Waltherus*, *Beutherus*, *Pezilius*, *M.*  
*Amyraldus*, *Regenvolscius*, *G. Hornius*, apud *Helvetios* emen-  
dationem sacrorum coepisse scribunt, quod ipsum *Hortingerus*  
*in H. E. sec. XVI. P. II. c. 3. ex instituto defendit, nec Ar-*

*woldus*, qui pessimam quamque sententiam avidissime sequitur, improbat, H. H. L. XVI. C. V. f. 41.

§. 4. Sed enim furori isti, ac impudenti mendacio, praeter idoneos, et fide dignissimos, e Nostratibus, scriptores, opponimus domesticorum, ipsiusque adeo Zwinglii, testimonia, quibus palam fit, repurgandae religionis, et oppugnandi Papatus, initium non Zwinglium in Helvetia, sed Lutherum in Saxonia, fecisse. Ac Buceri quidem, Lavateri, Peueri, Bucholzeri, Mornaei, Sculteti, Altingii, Fr. Spanbemii, *Auctoris der Erweckung von den moribus religionis*, aliorumque, in disputatione superius allegata iam dedimus. Addimus. autem h. l. testimonium *Curaei R. I. Chron. Siles. f. 241. lo. Cratii in Iubil. contin. Heidelb. c. II. p. 31.* nec non *lo. Salmutbi Eccles. Ambergensis*, qui in Conc. iubil. A. 1617. p. 62. fatetur, es sey in Sachsen, und zu Wittenberg der Anfang zu reformiren gemacht worden. Nach diesem seyn andere gefolget etc. Quod ipsum repetit, denuoque inculcat in Conc. II. p. 205. Confirmat hoc ipsum D. Pareus in progr. Heidelb. quando non modo Lutherum Zwinglio perpetuo praeponit, sed et NB. a prima face Vittembergensi Palatinas quoque accensas esse tradit. Cumque non ita multo post de primis Lutheri thesibus ad Moguntinum missis dixisset, subiicit: *Ex hoc paroxysmo Pontificis Romani imposturae, Papatus errores, et superstitiones paulatim detegi cooperunt: magna exinde animorum mutatio, Papatus inclinatio, doctrinae Evangelicae illustratio*, NB. Ecclesiarum repurgatio in Germania, et alibi passim NB. secuta fuit. *Sic Deus pro immensa sapientia, atque potentia sua, uti in principio ex tenebris lucem eduxit, ita tunc, per Lutherum, ex indulgentiis Evangelium, ex malo bonum, ex mendacio veritatem, ex superstitione religionem, et servitutem libertatem Ecclesiae restituere coepit.* Vid. *Acta Iubil. Heidelb. p. II. 38.* Imo vero integra Reformatorum cohors oppugnati Papatus initia in Lutherum devolvit, in *Apologia ad Conventus Torgensis Acta Theolog. Beza*, ut videtur, auctore scripta, et Genevae A. 1575. edita p. 5. et 6. Rogentur, inquit, omnes Scholae Papisticae: *Respondebunt uno ore, quamvis nos privatum oderint, omnium calamitatum non Calvinum, non Marty-*

Mariyrem, non Bullingerum, non Bezam, sed NB. unum illum (haud merito tamen) NB. unum, inquam, Lutherum esse. Nimirum, quod hic primus bellum Papatui indixit. Quid multa? Zwinglius ipse hanc prope deprecatus est gloriam, eandemque fese Lutheru[m] lubenter relinquere est fassus. Ita enim Palatini im ausführlichen Bericht, Cap. III. scribunt: *Wir erkennen mit sonderabren danck --- was Gott für grosse dinge durch sie gethan hat.* NB. sönderlich durch D. Luthern, von dem NB. Zwinglius selbst schreibt: *Er sey der kleine David gewesen, der NB. erftlich den grossen Goliath zu Rom anzugreiffen sich unterstanden habe, welches sich vielleicht der andern keiner würde unterstanden haben: Und diese Ebne wolte Er ihm nicht missgönnen, allein solte ers andern auch nicht missgönnen, daß se, nachdem Er den statlichen Angriff gethan, und den Feind in die Flucht gebracht hätte, ihm hülffen den sieg wieder die Philister forsetzen und verfolgen.* Haec Zwinglius. Qui cum ipse doceat, hanc fese laudem Lutheru[m] non illibenter relinquere, quod primus in Romanum Pontificem ire sit a[us]sus, quantae, quaeso, non modo impudentiae, sed et malicie, res est, contra solem loqui, et id afferere Zwinglio velle, quod tamen ipse Zwinglius Lutheru[m] vindicandum esse fatetur.

*Conf. Gvil. Cave in Chartopb. p. 39<sup>1</sup>.*

§. 5. Nec enim quicquam habent, quod vel specie quadam veritatis blandiri possit, praeter id unum, Zwinglium aliquot, ante Lutheri disputationem, annis, purum Evangelium docuisse. Quasi vero Lutherus non idem praestiterit, aut eo demum die, quo theses contra Tezelium publicavit, recte sentire coepert, ac docere. Contrarium per praecipua Christianae doctrinae capita ostendit, pec. diss. *de Lutherio Lutherano ante Lutheranismum* B. I. G. Möllerus. Neque etiam de eo quaeritur, uter horum prior Evangelium *utcumque purius* docuerit, sed uter horum prior manifesto, ac data opera, in veteratos errores, ipsumque adeo Papatum, invaserit. Quo uno observato, tota illa moles argumentorum corruerit, quam Hottingerus, et alii magno studio construxerunt.

E 3

§. 6.

§. 6. Georgius Calixtus occulto in Lutherum odio, et syncretistici studio coecus, de primo emendatae religionis auctore subdubitare videtur, *de tolerant.* Reform. n. LV. p. 40. Sam. Strimesius in Hexade quum intelligeret, omnem sese repurgationis gloriam eripere Lutheru non posse, partem subtrahere, et in Zwinglium transferre studuit, causatus: *Zwinglium contra Papales doctrinas deronando Lutherum easdem et scriptis, et factis publicis impetrando, impugnandoque, priorem fuisse.* Denique M. Arnoldus, Ecclesiae nostrae dedecus et opprobrium, H. H. L. XVI. c. V. f. 41. improbata super tantilla re controversia, perinde esse statuit, uter horum primus veritatis divinae praeco ac vindicta habeatur. Verum ut Calixti, in quosvis alios, quam Lutherum, Lutherique germanos socios, propensioris, parum nos movet auctoritas, sic Strimesio et Arnoldo in Vindic. Hist. C. A. a Nobis ita responsum fuit, ut putemus, aequos iudices in eo facile acquieturos esse.

VIII. Hic per diligentem Scripturae lectionem, et Augustini libros, addo, Staupitii consilia, et sermones, ad aliquam veritatis lucem perductus, cognito, Tezelium in vicinia condonationes peccatorum Romanas magno pretio vendere, hominis impudentiam publica disputatione sibi coercendam esse putavit.

§. 1. Lutherus Monasterium ingressus, quum aliquando in S. Codicem, e Bibliotheca publica, incidisset, mirifice delectatus eodem, id unum habuit in votis, ut talem sibi librum aliquando peculii loco possidere liceret. *Matties. Conc. I. d. V. L. p. 4.* Compos voti factus, incredibili, ac indefesso

defessio prorsus studio, diurna, quod aiunt, nocturnaque manu versavit. Laudat hoc eius studium *Io. Wigandus in praef. Schwenfeldismi*. Vidi, inquit, initia Lutheri: quomodo is adhuc in cappa degens torum Psalterium tam attente perlegerit, ut de verbis *et veritate* sua manu glossarit. Item epistolam ad Romanos, et ad Ebraeos, autographa enim ipsius in mea manu habui, atque inspexi, et miratus sum. Nam ea res testabatur, quod ex assidua Verbi DEL lectione, et meditatione germanum, nationem, et proprium eius intellectum, per DEL singularem gratiam hauserit, qua postea tot errores, idolomanias, ac furores Pontificios detexit.

**S. 2.** Lectione librorum *Augustini* in veritate assequenda non parum se fuisse adiutum, *Lutherus ipse* fatetur, in *Epist. ad Langum*, Ao. 1516. apud *Aurifabrum T. I. p. 35.*

**S. 3.** Nec *Staupitio* parum debuit. Hic enim auctor ei fuerat, ut sacras literas, relictis omnibus, legeret, *textualisque et localis*, ut tum loquebantur, fieret. Quod ipsum tanto cum successu Lutherus praeficit, ut *Staupitius* admiratus ingenium Viri, eum aliis anteferendum censuerit. *V. Seckendorffus H. L. I. Sect. VIII. §. 8. Add. 3. f. 21.* Idem Lutherum aliquando cogitationibus de *Praedestinatione*, vexatum monuit, ut in bius argumenti consideratione inciperet a vulneribus Christi. Cumque aliquando de *poenitentia* cum eodem colloqueretur, *Staupitius* ostendit: *eam esse veram poenitentiam, quae ab amore iustitiae, et DEL inciperet.* Qua voce se mirifice recreatum, et ad amorem poenitentiae inductum fuisse, Lutherus scribit. Denique in suis ad eundem literis, quas primus edidit e MSCt. *Seckendorffus H. Luth. L. I. §. XXXVII. f. 48. b.* fatetur, ex illius sermonibus primam Evangelii lucem suo in corde accensam fuisse.

**S. 4.** Dedit quoque eius rei documenta. Nam Ao. 1512. sumptibus Principis die *Lucæ*, qui Academiae huic naturalis est, creatus SS. literarum Doctor, *Epistolam ad Romanos, et Psalmos* sic illustravit, ut hominum mentes revocaret ad fidem

lium DEI, et operum propriorum opinionem damnaret, gratusque homines per fidem in Christum iustificari doceret, reliquas etiam doctrinae divinioris partes mirifice illustraret. Vid. *Oratio Philiippi in laudem eius habita T. I. Orat. Virtemb.* Conferatur illius ad Eremitam quandam *Epistola T. I. ed. Aurifabri et apud Sculpetum Annal. Dec. I.p. 8.*

§. 5. Tali modo a doctrina, et veritatis cognitione, animique robore, ac praesentia, instructus minime sibi committendum esse putavit, ut errores in Ecclesia diutius grassarentur impune. Vagabatur t. t. per inferiorem Saxoniam, et ditiones Anhaltinas *Io. Tezelius*, genere Pirnenfis, ordine Dominicanus, dignitate Theologiae Doctor. *Schlüsseburgius in praef. T. X. de Iesuitis*, observat, vocabulum *Tezel*, lingua Turcica, significare *Diabolum*. Quod si ita eset, omne non caruisset res, siquidem diabolicis omnino artibus vexavit Ecclesiam. Nolim h. l. de illius vel luxuria, vel libidine, vel impudentia, vel denique feritate, extremaque malitia, exempla afferre, quem passim apud Scriptores, imprimisque *Seckendorfium H. L. L. I. f. 16.* extent, nonnulla etiam, peculiari dissertatione, hac ipsa in Academia, fuerint recensita. Id certum est, quod Iutreboci sacerrimas veniarum merces veniam exponendo, Vittembergenses ad foedas istas nundinas impudenter pelleixerit. Quo cognito monuit Lutherus sodales: agerent prudenter, nec merces Iutreboci expositas tantum emerent: praestare facultatibus suis sublevare pauperes, quam incertam gratiam certa pecunia redimere. Nonnullos etiam, qui venias acceptas causati peccata graviora privatim confiteri solebant, liberius reprehendit. Quod ipsum postquam indigne ferre Tezelium, eundemque minari sibi reficit, tum demum consilium non minus forte, quam generi humano salutare cepit. Vid. omnino *Matthesius Conc. II. de V. L. p. m. II. 12. sq. et Seckendorfius l. c. p. 17.*

IX.

IX. Anno igitur supra sesquimillesimum decimo septimo , pridie Calendas Novembres , quas Vittembergenses ob encaeniorum solennia t. t. imprimis habebant festas , hora diei XII. valvis templi OO. sanctorum XCV. theses affixit , quibus taxata Tezelii impudentia , homines procul omni vel pretio , vel merito , a Deo in gratiam recipi , ob fidem in Christum , perspicue ostendebat.

§. i. Lutheri theses hoc titulo fuerunt inscriptae : *A more et studio elucidandae veritatis hec subscripta schemata disputabuntur Vittembergae , Praesidente R. P. Martino Luthero , Eremitano Augustiniano , Atrium et SS. Theologiae Magistro , eiusdem ibidem Ordinario Lettore etc. Extant eadem etiamnum cum separatis , tum T. I. len. Lat. f. 3. tum apud Osiandrum Cent. XVI. L. I. c. XXI. p. 41. sq. et alias. Prima earum hanc in sententiam est concepta : Dominus et Magister noster I. C. dicendo : poenitentiam agite etc. Omnes vitam fidelium poenitentiam esse voluit. Nimirum , ut , post lapsum , unicus Verbi Dei scopus est emendatio hominis , sic fidi eius praecones , ac vindices veritatis , plerique omnes munia sua urgendo poenitentiam sunt exorsi. Prima concionis summa , quam habuit Iesaias Propheta , redibat hoc : Lavate , purificate Vos : definite a malo : facite bonum. c. I. 16, 17. Ioannes Baptista hanc vocem in deserto tollebat ; Poenitentiam agite : appropinquavit regnum coelorum. Marc. I. 3. Haec denique prima Christi , et Apostolorum ad populos Oratio fuit , uestravocite Marc. VI. 12.. Quorum ut vestigiis , divina manu du-*

F

ctus,

Etus, institit Lutherus, sic emendandae religionis initia hoc pariter exordio dedicavit: *poenitentiam agite.*

§. 2. Anno seculi XVII. prid. Cal. Nov. affixas fuisse theses magno contentu Scriptores tradunt, *Steidanus*, *Bucholzerus*, *Functius*, *Osiander*, *Porta*, *Curaeus*, *Lutherus ipse in Praef. T. I. len. Lat.* quibus quidem allegandis nunc supercedeo. Id vero memorabile est, quod *Bucholzerus*, et ante hunc *Matthesius Conc. I. de V. L.* observavit, numerum annorum, illis Ambrosiani hymni verbis, contineri: *tibi Cherubim, et Seraphim In Cessabat. I. Voce pro CLaMant.* Ut enim homines protracto in lucem Evangelio vehementer laetati sunt, sic dubium non est, angelos quoque Numen, pro tanto in genus humanum collato beneficio, celebrasse.

§. 3. Pridie Calendarum Novembbris, seu in vigiliis Festi omnium Sanctorum, Lutherum publicasse thetes ipse c. I. testatur. Quibus quidem Calendis *Encaenia* sua solenni peragiisse ritu Vittembergenses, unus, quod meminerim, *Matthesius*, scriptor imprimis accuratus, ac diligens notavit eit, loco. Quia enim templum Academicum, idemque arci contiguum, OO. Sanctis dicatum erat, Calendae autem Novembres vulgo in honorem SS. OO. celebrabantur, eodem die et confiditi a Friderico Sax. splendidissimi templi et OO. quibus sacrum erat, Sanctorum, memoria colebatur. Ceterum ne hoc quidem omne caruit. Vti enim *synaxis* olim a Iudeis ob templum, a superstitionibus Graecorum repurgatum, sublatamque Iovis Olympii, quae ab istis imposita aedi fuerat, imaginem, celebrabantur, sic quando pridie encaeniorum Vittembergensium theses proposuit Lutherus, hoc ipso significatum fuit, adesse tempus, quo Iovis Capitolini sit deiicienda imago, salutaris autem religio renovanda, et ad nitorem pristinum, ac munditatem revocanda. Iudeos encaenia sua quondam ἐστη τῷ Φότῳ, seu festivitatem luminum appellasse, ob apparentem, ex insperato, felicitatem, Iosephus testatur *L. XII. Antiquit. c. II.* Quanto potiore

tiore iure illa maiorum nostrorum encaenia, *εορτὴν τῶν Φω-*  
*τῶν*, nominabimus, quippe quibus densissimas, et plus  
quam Cimmerias Papatus tenebras cum Evangelii luce, di-  
vino quodam beneficio, commutarunt Christum alioqui  
ipsis Encaenii acri sermone castigasse Iudeos, et ad ve-  
ram poenitentiam adhortatum fuisse ex *Io. X, 22.* liquet,  
quod idem de Luthero, eiusque thesibus non immerito,  
iudicaverimus.

§. 4. Hora diei *XII.* Lutherum theses affixisse suas  
ad valvas templi, praeter *Ioach. Curaeum*, rerum Silesiarum  
diligentissimum scriptorem, nemo observavit, quod norim.  
Ita vero ille *P. I. Chron. Siles. f. m. 241.* *Luther, als ein von*  
*Gott darzu erregtes Werckzeug, schlug an dem letzten Osterbris zu*  
*VVittenberg an der Schloß-Kirchen (da man am Tage allerheiligen*  
*den Ablaß-Kramb zu halten pflegte) auff XII. hora etliche*  
*Propositiones an, in denen er der Päpstlichen Ablaß-Prediger gott-*  
*lose Vermessenheit, heftig strafte.* Quod ipsum quoque ma-  
gnitudinem beneficii nobis in memoriam revocat. Vt e-  
nimir sol meridiano tempore omnium clarissime luctet; sic  
Lutherus sole meridiano clarius detecturus erat errores  
Pontificios, eaque omnia protracturus in lucem, quae ad  
id usque tempus densa caligine obruta, quasi sepulta,  
iactuerant.

X. Quod ipsum non a Staupitio stimula-  
tus, vel quadam in Dominicanos invidi-  
a, et gloriae cupiditate incensus, ut Pon-  
tificii Scriptores calumniantur, sed ratio-  
nibus conscientiae, et studio veritatis im-  
pulsus, fecit.

§. 1. Sunt, qui *Staupitium*, *Augustinianorum* per universam prope Germaniam Vicarium generalem, odio quodam erga *Dominicanos* auctorem Lutheruſſe fuisse ſcribunt, invadendi ac confutandi Tezelii. Quin et iplum Lutherum, quippe *Augustinianum*, id honoris ac lucri *Dominicanis* vel *Praedicatoribus*, quorum e fidalitate fuit Tezelius, invidiſſe. *Vid.* *Stapletonus* in *Prōpt. Carbol.* P. I. f. 206. *Bellarum de Eccl.* T. II. O. col. 257. *Iac. Keller im Caihol. Pabſtbum* T. I. Art. 2. c. 2. §. 1. f. 354. Sic *Perrus Roſtius* in *Pſeuſo iubil.* C. IIX. p. 65. *Staupitium* negat, id ferre potuiſſe, ut *Dominicani* indulgentias venderent, praeteritis *Augustinianis*. Consentit *Nat. Alexander* in *Seleclis Hift. Eccles.* et in loca eiusd. insignibus diſſert. *Hift. Chronol. Crit. dogm. Sec. XV. et XVI.* P. I. Art. X. S. I. p. 433. docetque Tezelium nundinatioibus suis *Augustinianorum*, imprimis que *Staupitii*, et Lutheri invidiam commoruisse. *Maimburgius* in *Hift. Luther.* L. I. ſct. X. ſcribit: *Staupitium* immiſſe Lutherum in *Dominicanos*: *Lutherum vero gloriae cupidum*, occationem inclareſcendi lubeniffime arripiuiſſe. *Sinnichius*, *Forrerus*, aliique, Lutherum ideo, quod ſpe obtinendi locum inter purpuratos Aulae Romanae exciderit, bellum Papatiū indixiſſe narrant. Quod iplum adeo ridiculous est, et absurdum, ut ne conſutatione quidem indigeat.

§. 2. Quod vero ad prius illud attinet, nihil, hac in re, vel odio, vel invidiae Lutherum, *Staupitiumque* dediſſe, hinc patet, quod Tezelius et *Dominicani*, toto decennio ante, nimirum Anno 1507. seq. per Misniam et Saxoniam, condonationes illas Pontificias, cariſſimo pretio, nec fine multorum piorum offensa, vendiderunt. Exempla videantur apud Ienifum in *Annal. Anneberg.* C. XIX. p. m. 58. ſq. nec non Mollerum in *Cron. Freibergensi* P. II. p. 143. qui Tezelium Ao. 1507. Fribergam veniſſe, et bidui ſpatio duo florrenorum millia suis con donationibus lucratum fuisse, trudit. Quod si *Dominicani* ſuo iſto mercatu *Augustinianorum* in ſe odia provocarunt, cur non eo statim tempore invidia

dia se prodidit, quo Dominicani, praeteritis, ut aiunt, Augustinianis, ipsis partibus a Pontifice sunt admoti? Sed enim vero tantum abest, ut eas veniarum nundinationes Eremitæ inviderint Praedicatoribus, ut etiam oblatas sibi a Pontifice, habito suorum conventu, sint deprecati, quod docet Seckendorfius, et quando Augustinianis obrudi non potuerint, tum demum ad Praedicatorum, vel Dominicanos est icum.

§. 3. Sigillatim vero Staupiti, iuxta et Lutheri, tanta semper fuit sanctitatis, innocentiae, modestiaeque opinio, ut ne suspicione quidem vel ambitionis, vel invidiae, temere laborarint. Staupitus saltē longe aliam causam, originemque excitati dissidii agnovit, quando Lutherum, doctrinæ sua rationem in Vangionibus redditum, his confirmavit verbis: *Mi frater, memineris, te in nomine Domini,* (id enim vel in ipso thesium titulo praeſertim tulerat) hoc negotium incepisse.

§. 4. Itaque cordatissimus quisque ac integrerrimus inter Pontificios scriptores, hac quidem suspicione utrumque absolvit, causamque certaminis in Pontificem et Tezelium coniicit. Petrus Sivatis in Hist. Conc. Trid. p. 4. facetur, ex diplomate Leonis parum pio et honesto, offendis et rerum novandarum occasionem natam fuisse. E recentioribus Edm. Richerius in Hist. Concil. Lib. IV. P. II. p. 121. Lutherum quaestum turpisrum reprehendisse et ob corruptos mores Ecclesiasticorum eiusmodi incendium totam Europam pervansisse, scribit. Maimburgio denique, et reliquis, quotquot hic a nobis dissentient, Maimburgium ipsum oppono, qui l.e. s̄t. X. postquam multa de indulgentiis disputarat, sui non satis memor, haec verba subiicit: *Negari non potest*, NB. imo ab omnibus conceditur, hos abusus, (indulgentiarum nempe et reliquos) occasionem Lutheranis dedit; id ultima sessione Concilii Tridentini non obscure significatur. A quo discedere cum Pontificiis, tum

nobis ipsis religioni fuerit. Conf. Thuanus L. I. et Laur. Surius in Append. ad Naucleri. Chronic. Tom. II. f. 566. et Lutherus ipse T. V. Ien. Germ. f. 302.

XI. Theses autem Lutheri dierum plus minus XV. spatio, per universam Germaniam disseminatae, et mente nondum elapso, Romam allatae, summoque omnium bonorum applausu exceptae sunt.

§. 1. Romam, nondum elapso mense, perlatas fuisse Lutheri theses Matthesius de V. L. p. 12. ex eoque Höpfnerus in Saxon. Evangel. p. 31. tradit. Leo X. P. R. immanes de Lutheru querelas, monachorum invidiae tribuit, eundemque delibatis illius scriptis, *perbelli ingenii virum esse existimavit*, apud Seckendorfum L. I. §. XXXI. f. 40.

§. 2. Maximilianus I. Imp. Rom. inspectis Lutheri thesibus, Augustae Vindelicorum, ad Pfeffingerum Saxonis Consiliarium, Ao. 1519. paulo ante obitum, dixit: *Was macht euer Mönch? Gewiß, seine Lehrsätze sind nicht zu verachten. Er wird den Pfaffen zu schaffen machen.* Monuit quoque per eundem Consiliarium Fridericum Saxonem: *Er solle den Mönch fleißig bewabren: Es könne kommen, daß man sein braucht*, apud eund. L. I. §. XXXIII. p. 43. Conf. Nuber. Conc. XIII. p. 308. Laurentius autem de Bibra, Episcopus Würzburghensis, Vir cordatus ac integer, ad Saxonem scriptis: *Ew. Liebden wollen ja den frommen Mann D. Lutherum nicht weglassen, denn ihm geschah ein unrecht.* ib. §. XIII. f. 29.

§. 3. Quanto cum gudio Lutheri theses exceperit Io. Flescus, Prior Monasterii Steinlausig, prope Bitterfeldam, malo

malo 10. Martis, quam meis verbis exprimere. Ita vero ille Conc. II. de V. L. p. 13. Dieser Mönch, der sein Lebtag keine Messe gehalten, und seiner Parforen reformation, schon vor dieser zeit, bößlich und nach Eltischer weise gespottet, findet zu Steinlauff in seinen remptor diese Propositiones angeschlagen. Wie er ein wenig drinnen list, schreitet er für freuden auff bo, bo, und sagt, der wirds thun, er kommt, darauff wir lange gewart haben: wie er auch sehr ein trößlichen Brief deswegen an D. Luther schreiber, und vermaßnet ihn, er solle getrost fortfabren, dann er sey auff dem rechtten wege, Gott und aller gefangenen Geberb im Römischen Babylon werde mit ihm seyn.

§. 4. Nec praetereundum hoc loco est, quod Selnecerus in Hist. Lutberi f. 221. narrat. Luthero nempe A.D. 1521. Vormatiam ingrediente, Hieronymum Löfferum, cuius aliqui ioculari simplicitate se oblectare Gvilelmus Bavarus solebat, arrepta facula currum, quo vehebatur Lutherus, antecessisse, et ex veteri responsorio, ut loqui amant, cantasse: *Advenit desiderabilis, expectavimus te in tenebris.* Quin et Husitici sacerdotes Praga Boiemorum mense Octobri A.D. 1519. scripsierunt ad Lutherum, eundemque ad constantiam et patientiam cohortati, veram, puramque ab eo doctrinam proponi, testati sunt. Vid. T. I. Epist. Lutb. p. 210.

§. 5. Postremo vindicata per eum veritas a summis, mediis, infimis, intra et extra Germaniae fines, certatim recepta fuit. Lemgoviae, in Comitatu Lippiensi, mittebatur a Consule apparitor in templum observaturus, et ad supplicium notaturus cives, qui canerent Lutheranos hymnos: *Eine feste Burg ist unser Gott etc.* Erbalt uns Herr bey deinem Wort. Reversus cum rogaretur, quinam cantassent? respondit: *Herr, sie singen alle.* Excepit, sed parum pie, Consul: *ey, alles verlobren.* Vid. Piderius in Chron. Lipp. P. II. f. 608. Tanta nimurum incrementa sumpsit Evangelii doctrina. Itaque Abr. Sculetus

Scultetus, Doctor Reformatus, in Dec. I. Annal. p. 16, 17. a suis se Praeceptoribus audivisse scribit: diversarum gentium studiosos Lutheri, et Melanthonis gratia Vitembergam profectos, ad primum oppidi conspectum, complicatis manibus DEO gratias egisse: quod sicut olim e Sione, ita e Vitemberga Evangelicae veritatis lucem in remorissima regna voluisse diffundi. Compertumque est; Martinum Polichium vere de Academia Vittenbergensi vaticinatum fuisse: illam cunctas alias Germaniae Academias sua littere obscuraturam. Quam quidem ei laudem, ut DEUS, per  
ter luminum, perpetuum, ac propriam esse iubeat,  
toto eum pectore obsecramus.

SOLI DEO GLORIA.



[F. II L. 108]



DISC  
SOFTU

# Farbkarte #13

B.I.G.



8.  
FAVSTVMQVE SIT!  
DE  
**ORDIIS  
INDATAE  
YTHERVUM  
LIGIONIS,**  
MIAE MAGNIFICENTISSIMO  
PRINCIPE AC DOMINO  
**FRICO AVGVSTO,**  
SAXONICI HAEREDA ETC.  
AESIDE  
**VVERNSDORFIO,**  
et Prof. Publ. Alumn.  
o, et Academiae h.t.  
O-RECTORE  
Anniversarii Sacri  
ovembr. clo lccc VIII.  
i Lutheri Cathedra,  
ffertatione exponet  
**S VICTOR MOEHRING,**  
ord. Phil. in Acad. Vitemb. Assessor,  
nistris et Provincialis Scholae  
everanae Rector.  
, Typis IOANNIS HAKII.